PHARMACOPŒA TAURINENSIS

Nunc primum edita

JUSSU


AUGUSTISSIMI

REGIS.



AUGUSTÆ TAURINORUM. M. DCCXXXVI.

In Ædibus Academicis, apud Joannem-Baptistam Chais Typographum Regium.



AUCTORUM
PRÆFATIO:



Uamquam Medicinalis Codicis editionem, quem Taurinenses Pharmacopœi, cæterique in hac regione universa sequerentur, utilissimam ac prope necessariam fore majores nostri existimaverint; tamen, cum ejusmodi magnum ac perdifficile opus esse animadverterent, posteris id omnino relinquendum putarunt. Nos etiam in ea dudum cogitatione versati, eademque rei difficultate absterriti sumus; &, quam multorum sæpe consilijs impulsi refugimus provinciam, jubente demum AUGUSTISSIMO REGE *suscepimus. Qui enim medicamentarios codices eos tradunt in manus hominum, unde arbitrio suo arripiat quisque quod velit; rem minime arduam aggredi, unumque Scriptoribus commune discrimen*

subi-

ſubire videntur. Tales vero officinalia pharmaca ſeligendi, præparandi, & una commiſcendi rationes, tamquam leges, conſtituere, quibus obſervandis aſtringi omnes debeant, qui artem eam profitentur; hoc multi ſane conſilij, & laboris, idemque plenum periculi negotium eſt. Plurima nos quidem ex ijs medicamentis, quorum antiquus & frequens hic uſus eſſet, nihil temere immutantes, retinere ſtuduimus; vana quædam & inania, vel noxia rejecimus; alia ab optimis Medicis commendata addidimus; inſuper tum Galenica, ut ajunt, tum chymica conficiendi brevem rectamque viam docere; atque omnia denique ad certum quemdam ordinem redigere conati ſumus: quæ utinam Doctorum & experientium virorum judicio probentur. Sed quando hæc provide conſiderateque acta eſſe videantur, qui fieri tandem poteſt, ut eorum vitemus convicia, qui copiam, & quaſi ſilvam multiplicium rerum mixtura, varietateque confertiſſimam requirant? qua nihil ad morbos humani corporis innumerabiles, tamque inter ſe diſſimiles utilius, nihil commodius eſſe arbitrentur. Sint aliqua licet in compoſitis pharmacis, quorum inopiam immerito reprehenderint; plura hi nihilominus in Sirupis, Electuarijs, Pulveribus, Pilulis, Trochiſcis, & reliquo genere toto de-

ſide-

ſiderabunt. Hos autem, ſi qui ſunt, ex quorum animis tam penitus inſita opinio evelli non queat; ad Pharmaceuticas Bibliothecas, & ampliſſima quædam Diſpenſatoria, vel Antidotaria, ut vocant, vetera & nova mittamus. Quid, ſi alij e contrario vel nimia in hunc librum nos contuliſſe dicant? quippe qui diuturna experientia noverint perpaucis, delectiſque remedijs felicius percurari ægros & convaleſcere. Profecto inutilia quæcumque nobis viſa eßent, in communi tamen exiſtimatione, uſuque poſita, non prorſus omnia abiecimus. Ecquis vero ea funditus tollere, tantæque hujus credulitatis errorem ab hominum mentibus depellere umquam potuit? Neque ætate noſtra, qui renovandis Pharmacopœis ſapientes doctiſſimique viri operam dedere; eadem repudianda omnino eße cenſuerunt. Ac talia demum innocua fere medicamenta ſunt, quæ propter nominis aut uſus antiquiſſimi autoritatem hic retinenda duximus; vel tantummodo commemoravimus, & ad proprias claßes idcirco retulimus, ut eadem, ſiquis uſurpare aliquando velit, componendi normam in promptu habeat. Atque hæc in primis, quemadmodum tradidimus, non magno opere ſumptuque comparantur, ut inanes quædam Aquæ ſtillatitiæ, quæ pro veteri conſuetudine frequentius adhi-

hibentur. Ex ſimplicibus quoque litterarum ordine diſtributis in prima parte Operis non pauca ſunt, quibus certe quidem carere poſſumus; ſed omnium, quæ in medicinalibus numerantur, utilis cognitio eſt. Itaque ſynonima, quibus opus eſſet, paſſim adjecimus; tum pleriſque exteris eas notas, quibus ſincera & optima a pravis falſiſque diſcernantur: quod junioribus ſaltem Pharmacopœis percommodum fore arbitramur. Porro Simplicibus nonnullis, ad præcavendos errores, appoſita doſis eſt, non ea quidem ſumma, ſed quæ adulto homini fere conveniat; itemque Compoſitis, conſueta licet doſis maneat iis etiam, quorum ratio utcumque immutata eſt; ne Pilulis quidem exceptis, in quibus vini ſpiritum, quominus mucorem ex vetuſtate contrahant, in ſirupi locum ſubrogavimus.

De ceteris, quæ hic admonenda eſſe videntur, nimis longum eſt ſingulatim dicere, minimeque neceſſarium. Etenim, cur, aliis medicamentis poſthabitis, alia recepimus; cur in his præparandis & componendis a vulgari more nonnumquam deflexerimus; facile intelliget quiſquis medicinalium rerum peritus ad hunc Commentarium attente perlegendum acceſſerit. Idemque erratis veniam eo libentius dabit, quod nunc primum difficile hoc opus edendum nec

ſpon-

ſponte nec ambitioſe ſuſcepimus. Noſtris autem imitanda poſteris exterarum nationum exempla relinquimus, apud quas antiqui Codices ejuſmodi ſemel ac ſæpius correcti auctioreſque in lucem prodierunt. Quamquam noſtrorum quidem hominum cura operaque hunc longe meliorem, utilioremque patriæ, nihilo tamen ampliorem auguramur.



Appro

Approbatio Taurinensis Medicorum Collegii deprompta ex Actis ejusdem Die XXII. *Mart.* MDCCXXXVI.

CUm ex mandato Collegii Doctores quattuor delecti *Pharmacopœam Taurinensem* diligenter recognoverint; ijdem Medicamentorum tum Simplicium, tum compositorum accuratam descriptionem, atque eadem præparandi facilem utilemque normam in solemni Doctorum conventu commendarunt. Quapropter hujus Operis editionem, quod ab omnibus jamdiu expetitum est, cunctis suffragiis Collegium approbavit.

Papanti.

V. Fantonus Med. Fac. Præses.

Se ne permette la stampa:
Morozzo per S. E. il Sig. Marchese Zoppi Gran Canc.



PHARMACOPŒÆ TAURINENSIS

PARS PRIMA,

In qua Simplicia cujusque generis Medicamenta litterarum ordine servato recensentur: Peregrina insuper ex præcipuis eorumdem notis pleraque describuntur.

A



BIETIS rubræ Coni, & Resina.

ABROTONUM mas angustifolium majus,

Abrotonum vulgare.

ABSINTHIUM Ponticum latifolium, seu Romanum Officin.

Absinthium vulgare majus.

ABSINTHIUM Ponticum tenuifolium incanum.

ABSINTHIUM Alpinum candidum humile, Vulgo *Genepi*.

ACACIA vera, ſeu Ægyptia

Succus è fructu immaturo Spinæ Ægyptiæ expreſſus, & denſatus, ponderoſus, compactus, lucidus, coloris rufi, ſaporis auſteri. Hæc autem Acacia vera in Officinis noſtris obſolevit, cui Noſtras, vel Germanica ſubrogari ſolet.

ACACIA Germanica

E prunis ſilveſtribus immaturis elicitus ſuccus eſt, atque inſpiſſatus.

ACANTHUS ſativus,

Branca Urſina.

ACETOSA arvenſis lanceolata.

ACETOSA rotundifolia hortenſis.

ACETOSELLA.

ACETUM vini.

ACMELLA,

Atemella, Atmella.

Folia hujus Plantæ Ceylanicæ ſubacria ſunt, foliis Lamii, aut Urticæ longiora.

ACONITUM ſalutiferum,

Anthora.

ACORUS verus.

Radix hæc, quæ pro Calamo aromatico ſubſtituitur, albida ſit, ſuaveolens, ſubamara, fungoſa, & fractu difficilis, non carioſa.

ACTE,

Sambucus.

ADEPS

Anatis,

Equi,

Gallinæ,

Gallinæ,
Hominis,
Muris alpini,
Suis,
Taxi,
Viperæ,
Vulpis.

ADIANTHUM album fol. Filicis,
Filicula Fontana.

ADIANTHUM Aureum.

ADIANTHUM fol. Coriandri,
Capillus Veneris.

ÆGAGROPILUS, vel Ægagropila
Pila ovalis, aut rotunda, ſæpius oblonga, admodum levis, plerumque ex ruſo obſcuri coloris, fragmentis, & fibrillis herbarum coagmentata ſub involucro coriaceo.

ÆS.

AGALLOCHUM, *vide* Lignum Aloes.

AGARICUS, vel Agaricum
Probatur albus, levis, friabilis, ſapore primum ſubdulci, mox ſubamaro, tandem acri.

AGNI caſti Semen.

AGRIMONIA.

ALBUM Græcum,
Stercus Canis.

ALCHIMILLA,
Stellaria.

ALCIS Ungula.

ALKEKENGI Fructus.

ALLELUIA,
Acetosella.

ALLII hortensis, seu sativi Radix.

ALOE Soccotrina,
Epatica,
Caballina.

Soccotrina, quæ ad usum internum cæteris præstantior, lucida esse debet, sicca, friabilis, amarissima, odore non ingrato. Integra ad fuscum colorem, pulverata ex flavo ad subrubium vergat.

ALSINE media, seu vulgaris,
Morsus Gallinæ.

ALTHÆA.

ALUMEN Rupeum

Laudatur Romanum, translucens, albidi coloris, qui ad subrubrum inclinet.

AMARACUS,
Majorana.

AMBRA cineracea, seu *grisea* vulgo.

Optima censetur ea, quæ sordium expers est, levis, cinerei coloris ad fuscum vergentis, odoris grati, & suavis, maculis tum subnigris, tum albidis signata, quæ demum igni admota instar ceræ liquescit.

AMBUTUA, V. Pareira brava.

AMMI, vel Ammeos

Oblongum semen nonnihil inflexum, striatum, Cumino minus, & pallidius. Mundum sit, nutritum, sapore acri subamaro, odore ad Origanum accedente.

AMMONIACUM Gummi

In grummos concretum ſit, mundum, extrinſecus flavum, intus album, & lucidum, ſubamarum, Caſtorei, Galbanique odorem quodammodo referens; quod digitis tractatum, vel modice calefactum facile molleſcat.

AMOMUM racemoſum.

In folliculis Avellanam fere æquantibus, ac tripartitis ſemina continentur aſpera, & quaſi triquetra, quorum color obſcurus ad purpureum inclinat: odor aromaticus eſt, ſapor acer ad Caphuram accedens.

AMURCA,

Fæx Olei.

AMYGDALÆ amaræ.

AMYGDALÆ dulces.

AMYLUM.

ANACAMPSEROS,

Fabaria.

ANACARDIUM.

Deligendus hic fructus ponderoſus, externo cortice ſubnigro, lævi, ac lucido, interno autem citrino, quo nucleus albidus ſaporis ſubdulcis, & inter utrumque corticem glutinoſus, ex nigro rufi coloris, luciduſque liquor incluſus ſit.

ANAGALLIS aquatica,

Beccabunga.

ANAGALLIS phœniceo flore.

ANAGALLIS cœruleo flore.

ANETHUM hortenſe.

ANGELICA major, ſeu ſativa,

Bohemica.

Bohemica.

Oblonga hæc radix eſt capite craſſo, ex quo radiculæ pollicares, aliæque tenuiores producuntur. Sit recens, extrinſecus fuſca, intus albida, odore aromatico, ſapore acri cum levi quadam amaritudine.

ANGURIÆ Fructus, & Semen.

ANIME Gummi

Reſinoſum, in ſuperficie albidum, veluti farina aſperſum, intus fere citrinum, lucidum, odore, dum contrectatur, Elemi, dum uritur, Olibano quodammodo ſimili.

ANISI vulgaris Semen

Sit nutritum, mundum, ſuaveolens, ſapore ſubacri, & ſubdulci.

ANISUM ſtellatum, ſeu Sinenſe.

Capſulæ fragrantes quinque, ſex, ſeptemve inſtar radiorum uno petiolo ſimul junctæ ſunt, quibus grana continentur oblonga, ſeminis Lini fere ſimilia, cortice lævi, lucido, tenui, maculis ſubnigris diſtincto. Ejuſmodi ſemen ſapore, odoreque Aniſum vulgare ſuperat.

ANONIS, ſive Ononis.

ANTHORÆ, ſeu Antithoræ Radix.

ANTHOS,

Roſmarinus.

ANTIMONIUM

Adhibendum præcipue Hungaricum purum, nitidum, ex longis, ac lucidis radiantibus ſtriis conflatum.

APES.

APIUM dulce.
APIUM hortenſe, ſeu Petroſelinum vulgo.
APIUM Macedonicum, V. Petroſelinum Macedonicum.
APRI Dens.
AQUILEGIA.
ARABICUM Gummi, V. Gummi Arabicum.
ARCIUM,
Bardana.
ARGENTINA,
Potentilla.
ARGENTUM.
ARGENTUM vivum.
ARGILLA.
ARGYRITIS,
Lithargyrium Argenti.
ARI Radix.
ARISTOLOCHIÆ longæ) rotundæ) Radix. tenuis)
ARMORACIA,
Raphanus ruſticanus.
ARTHANITÆ Radix.
ARTHEMISIA vulgaris major.
ARUNDINIS ſativæ Radix.
ASA, vel Aſſa dulcis, V. Benzoinum.
ASA, vel Aſſa fœtida
Ex pluribus grumis ſubrubris coacta, acris, & amara, gravem, & alliatum odorem ſpirans.
ASARI Folia, & Radix.

ASCLEPIAS,
Vincetoxicum.
ASELLI,
Millepedæ.
ASPALATHUS, V. Lignum Rhodium.
ASPARAGUS.
ASPHALTHUS, V. Bitumen Judaicum.
ASPLENIUM,
Ceterach Officinarum.
ASTACI fluviatiles,
Cancri fluviatiles.
ATRIPLEX hortensis,
Spinachia vulgaris.
AVELLANÆ Lignum, & Nuclei.
AVENÆ vulgaris, sive albæ Semen.
AURANTIÆ, vel Arantiæ Mali, Folia, Flores, Fructus.
AURICULA Judæ,
Fungus sambucinus.
AURUM.
AXUNGIA, V. Adeps.

B

BACCÆ Ebuli,
Hederæ,
Juniperi,
Lauri,
Myrti,
Rhamni Cathartici,
Sambuci.

BA-

BALANUS myrepſica

Avellanæ nucis magnitudinem habet, ſubtilem corticem, & pelliculam fungoſam, qua nucleus includitur albus, pinguis, & ſubdulcis.

BALAUSTIA,

Mali Punicæ ſilveſtris Flores.

BALSAMINA mas,

Momordica vulgaris.

BALSAMITA,

Mentha Græca.

BALSAMUM Ægyptium,
De Mecca,
Judaicum,
Syriacum.

Balſamelæum

Reſinoſus liquor, ut ajunt, odoris acuti, & jucundiſſimi dum recens eſt, idemque albidus, vel ſubflavus; cum vero inveteravit, ſpiſſus, tenax, rufus, ſubamarus, & ſubacris. Hoc enim genuinum, minimeque fucatum Balſamum plane rariſſimum eſt.

BALSAMUM Copaiba, vel Copaliba

Liquor oleoſus, pallidus, vel ſubflavus, limpidus, Terebinthina minus tenax, ſapore acri ſubamaro, odore fragrante.

BALSAMUM Peruvianum album

Reſinoſum, limpidum, acre, Peruviano nigro glutinoſius, odoreque præſtantius. Quod recens, ſubflavum eſt; vetus autem rubeſcit.

BALSAMUM Peruvianum nigrum

Inſtar ſyrupi viſcoſum eſt, ſapore acri; ex rufo ad

fuſcum colorem, odoreque ad Styracem calamitam accedit.

BALSAMUM Peruvianum ſiccum

In cucurbitis ad nos defertur concretum, pingue, perlucidum, & rufum, ſuavi odore, vix ulla acritudine.

BALSAMUM Tolutanum, ſeu de Tolu

In modum Terebinthinæ tenax, Mali citrei odorem quodammodo ſpirat; color ejus ſubrubeus, acritudo fere nulla.

BARBA Capræ floribus compactis,

Ulmaria.

BARBA Hirci,

Tragopogon.

BARDANÆ Radix, & Semen.

BASILICUM,

Ocymum citratum.

BDELLIUM

In lacrymas concretum ſit, odoratum, ſubamarum, pingue; confractumque luceat, & calore molleſcat. Illud reiiciatur, quod in glebas coactum, quod nigrum, & ſordidum.

BECCABUNGA.

BECHION,

Farfara.

BELLIS minor, ſeu pratenſis.

BENZOINUM,

Belzoe,

Benjoinum

Probatur ſincerum, lucidum, ſuaveolens, ſine acritudine,

tudine, ex flavo ad subrubrum colorem vergens; albis frustulis interspersis, quæ confractas Amygdalas referant.

BERBERIS, seu Oxyacanthæ Fructus.

BETA alba, vel pallescens.

BETONICA.

BETULÆ Aqua, & Cortex.

BEZAAR, seu Bezoar

Orientalis in superficie lævis est, & nitidus, figuræ; & magnitudinis diversæ. Ex plurimis lamellis constat, quarum aliæ super alias positæ sunt, iisdemque extrinsecus politis, ac splendentibus, intus striatis: color varius, ut plurimum ex atro, vel pallido, quandoque cinereo ad subviridem colorem inclinans: sapor, odorque nullus. Occidentalis fere albidus, aut cinereus, fragilior, & ex multis etiam laminis sibi invicem incumbentibus conflatus. Uterque in centro cavus est, ubi paleæ, pili, diversæque res aliæ inclusæ sunt; quibus præcipue notis nativi ejusmodi Lapides a factitiis discerni solent.

BEZOAR Germanicum, V. Ægagropilus.

BISMALVA,

Althæa.

BISTORTÆ Radix.

BITUMEN Judaicum

Purum sit, ponderosum, siccum, graveolens, subnigrum, & splendidum.

BOLUS Armenia,

Orientalis,

Pinguis, ponderosa, subrubra, lucida, foliacea, quæ

labiis, aut linguæ apposita prompte adhæret.

BOMBACIS Semen.

BOMBYCUM Folliculi,

Sericum crudum.

BORAX nativa

Sit pura, crystallina, pallida, & subviridis, saporis nitrosi.

BORRAGO.

BOTRYS.

BOTUA, vel Butua, V. Pareira Brava.

BRANCA Ursina.

BRASSICA sativa,

Caulis.

BRUNELLA,

Consolida minor.

BRUSCI, sive Rusci Radix, & Semen.

BRYONIÆ Radix.

BUFONES.

BUGLOSSUM vulgare, seu angustifolium majus.

BUGLOSSUM Latifolium,

Borrago.

BUGULA,

Consolida media.

BUNIAS,

Napus sativa dulcis, vel silvestris.

BURSA Pastoris major.

BUXI Lignum.



C

CACAO.

Laudatur id præcipue, quod *Caraque* majus vulgo appellatur, fuſco, & ſubrufo colore, maturum, recens, craſſum, pingue, & ſubamarum.

CÆPA vulgaris.

CALAMINARIS Lapis

Alius cinereus, alius ſubruber, lineiſque albidis diſtinctus, qui præſtantior cenſetur.

CALAMINTHA montana vulgaris.

CALAMUS aromaticus Officinarum, V. Acorus verus.

CALCANTHUM,

Vitriolum.

CALENDULÆ, ſeu Calthæ Flores.

CALX viva.

CAMPHORA

Candida, cryſtallina, friabilis, valde odorata, acris, & ſubamara, ita ignis tenax, ut ſemel accenſa non facile extinguatur; atque adeo volatilis, ut igne leni tota penitus ſublimetur. Doſis a granis quatuor ad octo.

CANCRI fluviatiles.

CANELLA alba

Cortex albidus exteriore involucro ſpoliatus, in longos tubulos convolutus, acer, aromaticus, fragrans. Ita nimirum talis cortex rariſſimus a quibuſdam auctoribus deſcribitur; cujus loco utimur Coſto corticoſo.

CA-

CANELLA Ceylanica, V. Cinnamomum.
CANNABIS ſativæ Semen.
CANTHARIDES.
CAPILLUS Veneris.
CAPPARIS Radix, & Flores nondum aperti, vulgo Fructus.
CAPRIFOLIUM.
Matriſylva.
CAPSICI Fructus.
CARABE, V. Succinum.
CARANNA, ſive Caragna.
Reſina hæc eligatur tenax, ex cinereo ad ſubviridem colorem vergens, amara, ſuaveolens dum accenditur. Vetuſtate exareſcit, & friabilis fit.
CARDAMINDUM,
Naſturtium Indicum.
CARDAMOMI majoris Semen.
CARDAMOMUM minus
Siliqua membranacea triangularis tribus donatur cellulis, quibus ſemina exigua, anguloſa, tenui, & albida pellicula involuta includuntur, coloris rufi, odoris aromatici, ſaporis acris. Præſtantior ea, quæ integra, gravis, nec rugoſa eſt.
CARDIACA.
CARDUUS benedictus,
Carduus ſanctus.
CARDUUS ſtellatus,
Calcitrapa.
CARICÆ,
Ficus paſſæ.
CARLINÆ acaulos magno flore Radix.

CAROBÆ Officinarum.

CARPOBALSAMUM

Bacciformis fructus, Pipere paullo major, & aliquantulum oblongus, rugosus, tenuique pediculo instructus. Recens sit, gravis, nucleum albidum, & pinguem continens, odoris aromatici suavis, saporis subacris piperati.

CARTHAMI Officinarum Semen.

CARVI Semen.

CARYOPHILLATÆ Radix.

CARYOPHILLI hortensis Flores.

CARYOPHILLUS aromaticus

Sit capite globoso, circumpositis quatuor apiculis, colore subrubro fusco, sapore acri aromatico, odore fragrante, & quo compresso oleosum quiddam eliciatur.

CASCARILLA

Cortex resinosus convexa parte cinereus, concava ferrugineus, lucidus, fractu difficilis, levi odore aromatico, &, dum comburitur, Moschum redolens, gustu denique acer, & paullulum amarus.

CASSIA fistula,

Alexandrina,

Optima est Ægyptia, recens, siliquis crassis, ponderosa, haud resonans dum concutitur, cortice tenui, & lævi.

CASSIA lignea,

Odorata,

Cinnamomo crassior, fractuque difficilior, intus lucida, atque ferruginea, saporis acris, & subdulcis.

Diu manſa mollitur omnino, & glutinoſa fit, lignoſa parte vix ulla ſuperſtite.

CASTOREUM

Duobus folliculis in ſumma eorum parte junctis conſtat, in quibus materia continetur ceroſa, inflammabilis, ex ruſo ad obſcurum colorem vergens, quæ tractu temporis induratur, & fragilis fit. Caſtorei odor gravis eſt, ſapor ſubacer, & ſubamarus. Ex Ruſſia allatum cæteris præſtantius.

CATAPUTIA major.

CATECHU

Eligendum eſt compactum, lucidum, ſubnigrum, quod in ore detentum liqueſcat, ſaporeque primum ſubamaro, ac ſtyptico, poſtea ſubdulci guſtum afficiat.

CATELLI.

CAUDA EQUINA.

CAUDA Porcina,

Peucedanum.

CAULIS.

CENTAURIJ majoris Radix.

CENTAURIUM minus.

CENTINODIA.

CERA alba, & citrina.

CERASA ſativa rubra, & acida.

CERASA ſilveſtria nigra, & dulcia.

CEREFOLIUM,

Chærefolium.

CERUSSA.

CETERACH.

CHA-

CHALYBS.

CHAMÆACTE,
Ebulus.

CHAMÆCISSUS,
Hedera terrestris.

CHAMÆDRYS.

CHAMÆLEON albus,
Carlina acaulos magno flore.

CHAMÆMELI vulgaris Flores.

CHAMÆPITYS lutea vulgaris.
Iva arthritica.

CHEIRI Flores.

CHELÆ Cancrorum.

CHELIDONIUM majus.

CHELIDONIUM minus.

CHERMES, seu Kermes
Sit recens ſiccatum, integrum, nutritum, rubicundum, lucidum, & ſordium expers, ſaporis ſubamari, odoris grati.

CHINACHINA.
Hujus Corticis mediocris craſſitudo ſit, ſuperficies interior lævis, exterior ſcabra, & paſſim incana; idemque compactus deligatur, & quemdam mucorem redolens, ſaporis ſubamari, & ſtyptici, coloris ad Cinnamomum accedentis; quique non facile, nec ſine aliquo ſtrepitu frangatur.

CHINA Radix
Craſſa eſt, tuberoſa, & nodoſa. Alia, quæ facile conciditur, coloris ex pallido rubri, Carnoſa in Officinis noſtris appellatur; alia, quæ dura,

magis gummosa, lucida, subnigra, aut rufa est, Petrosa, aut Semipetrosa dicitur.

CHRYSOCOLLA, V. Borax.

CHRYSITIS,

Lithargyrium Auri.

CICERBITA aspera, & lævis.

CICHORIUM sativum, & silvestre.

CICLA Officinarum,

Beta alba, vel pallescens.

CICUTA major.

CINNABARIS nativa.

Laudatur ea, quæ lapillorum formam habet, superficiem lævem, & splendentem: confracta micat, ut vitrum, nullasque strias exhibet; pulverata eximie rubet. Hujus purgandæ ratio duplex docetur pag. 65. Dosis autem a granis decem ad viginti.

CINNAMOMUM

Cortex cannulatus, subrufus, odoris fragrantis, saporis initio subdulcis, tum acris, & grati.

CITRAGO,

Melissa hortensis.

CITREUM Malum.

CITRULLUS,

Anguria.

CLEMATIS Daphnoides,

Vinca Pervinca.

CNICUS sativus,

Carthamus.

CNICUS silvestris,

Carduus benedictus.

COCCI Orientales,

Cocculæ Officinarum

Recentes deligantur, qui pinguem nucleum ſubflavum contineant. Hic enim vetuſtate ita extenuatur, ut vacua fere putamina remaneant.

COCCINELLA, vel Cochinilla

Sicca, ponderoſa, extrinſecus albida, intus rubra ſit; ac dentibus trita ſalivam rubicundo colore inficiat.

COCHLEARIA.

COCHLEARIA folio cubitali,

Raphanus ruſticanus.

COCHLEÆ terreſtres,

Limaces teſtaceæ.

COLOCYNTHIS

Levis, alba, & cortice denudata præcipue deligi ſolet. Uſus ejus in Trochiſcis Alhandal.

COLOPHONIA,

Quæ ſic appellata eſt Fæx Terebinthinæ poſt elicitum ſpiritum & oleum, ſicca & tamen pinguis deligatur, translucens, ſubrufa; quæ autem nigra, ac nimium friabilis, minus probanda.

CONCHA margaritifera,

Mater Perlarum.

CONI Abietis,
Cupreſſi,
Pini.

CONSOLIDA major.

CONSOLIDA media.

CONSOLIDA minima,

Bellis minor.

CONSOLIDA minor.

CONSOLIDÆ regalis Semen.

CONTRAYERVA Hiſpanica,

Drakena Radix

Oblonga, nodoſa, extrinſecus rufa, intus albida, odoris aromatici, ſaporis ſubacris, & paullulum amari. Sit recens, denſa, gravis, non carioſa.

CONTRAYERVA tuberoſa Indica, ſubrotunda, fulvo colore, cortice ſcabro.

CORALLINA

Integra, & munda ſit, Muſci formam habens, ſub dentibus ſtridula, colore cinereo & ſubviridi, ſapore ſalſo, odore Concharum.

CORALLIUM album,
rubrum.

CORIANDRI majoris Semen.

CORNI Fructus.

CORNU Cervi.

CORTEX Guaiaci, V. Guaiaci Cortex.

CORTEX Peruvianus, V. Chinachina.

CORTEX Winteranus

Craſſus, cannulatus, integumento cinereo fungoſo, inæquali, pluribus rimis hiante, intus ſolidus, denſus, pallidus, acer, aromaticus, fragrantiſſimus. Ejus loco, qui rariſſimus omnino eſt, adhibetur Coſtus corticoſus, & a nonnullis Canella alba, quam ſpurium Corticem Winteranum appellant.

CORYLUS,

Avellana.

COSTUS Arabicus,

Amarus

Amarus Officinarum.

Radicis hujus forma, qualis fere Helenii. Optima censetur, quæ extrinsecus ex cinereo ad rufum, intrinsecus ad flavum colorem vergat, fungosa, & fractu difficilis, saporis acris, subamari, aromatici, odoris fere violacei.

COSTUS corticosus, seu dulcis Officinarum

Convolutus, crassus, ex rufo ad flavum, quandoque ad cinereum colorem inclinans, saporis acris quasi piperati, odoris aromatici.

COTONEUM, seu Cydonium Malum.

CRANIUM Humanum.

CRASSULA,

Fabaria.

CREPITUS Lupi.

CRESCIO,

Nasturtium aquaticum.

CRESPINUS,

Berberis.

CROCUS Indicus, V. Curcuma.

CROCUS sativus.

CUBEBÆ

Recentes sint, odoræ, nucleo oleoso præditæ, sapore acri aromatico.

CUCUMERIS sativi Semen.

CUCUMERIS silvestris, seu asinini Radix, & Fructus.

CUCURBITÆ longæ flore albo Fructus.

CUCURBITÆ majoris Folia, & Semen.

CUMINI, vel Cymini Semen.

CUMI-

CUMINUM pratenſe,

Carvi.

CUPRESSI Nuces.

CUPRUM,

Æs.

CURCUMA

Radix dura admodum, & tuberoſa, quæ Zingiberi formam, & odorem quodammodo refert. Sit gravis, denſa, intus lucida, & crocea.

CUSCUTA major.

CUSCUTA minor,

Epithymum.

CYANI Flores.

CYCLAMEN,

Arthanita.

CYNOGLOSSI Radix.

CYNORRHODON, ſeu Cynoſbatos.

CYPERI longi odorati Radix.

CYPERUS rotundus

Radix Olivæ figura, cortice ſubflavo, ductiſque in orbem zonis diſtincto, ſubſtantia albida. Sit compacta, non carioſa, odore gravi ad Nardum accedente, ſapore acri ſubamaro.

CYTINI,

Punicæ ſativæ Flores.

D

DACTYLI Indi, V. Tamarindi.

DACTYLUS

Sit

Sit recens, pinguis, maturus, & ſubdulcis.

DAUCUS Creticus

Oblongum, exile, villoſum, ſtriatum, incanum ſemen eſt; idemque eligatur mundum, odoratum, ſapore acri aromatico.

DELPHINIUM,

Conſolida regalis.

DENS Leonis latiore folio,

Taraxacum.

DIAPENSIA,

Sanicula Officinarum.

DICTAMNI albi Radix.

DICTAMNUS Creticus,

Folia ſint lanuginoſa, & odorata, ſummitates floridæ.

DORONICI Radix.

DRACUNCULUS hortenſis.

DRACUNCULUS polyphyllus,

Serpentaria major.

DRAKENA Radix, V. Contrayerva Hiſpanica.

E

EBULUS.

EBUR.

EBUR foſſile, V. Unicornu foſſile.

ECHINUS terreſtris.

ELECTRUM, V. Succinum.

ELEMI.

Reſina hæc pinguis ſit, ex albo ad ſubviridem colorem

rem vergens, flavisque sparsim maculis signata; odoris aromatici gravis, &, dum comburitur, fragrantis.

ELLEBORUS, V. Helleborus.
ENDIVIA sativa, seu vulgaris.
ENULÆ Campanæ Radix.
EPITHYMUM.
EQUISETUM,
Cauda equina.
ERINACEUS,
Echinus terrestris.
ERUCA tenuifolia flore luteo.
ERVUM verum,
Orobus semine majore.
ERYNGII vulgaris Radix.
ERYSIMUM vulgare.
ESULÆ minoris Radix.
EUPATORIUM Græcorum,
Agrimonia.
EUPHORBIUM
In guttas concretum sit, pallidum, pellucidum; sapore acerrimo exurente.
EUPHRAGIA.
EXUVIÆ Viperarum.

F

FABÆ majoris Flos, Semen, Siliquæ.
FARINA Avenæ,

Cicerum,

Cicerum,
Fabarum,
Fœni Græci,
Hordei,
Lini,
Lupinorum,
Orobi,
Secalis,
Tritici.

FARINA volatilis.
FARFARA.
FEL Taurinum.
FEL Terræ,
Centaurium minus.
FERRUM.
FEX Olei.
FICUS passæ.
FILICIS fœminæ, & maris Radix.
FILICIS floridæ Radix.
FILIPENDULÆ vulgaris Radix.
FLORES quatuor cordiales Officinarum;
Borraginis,
Buglossi,
Rosarum rubrarum,
Violarum.

FLOS Terræ,
Nostoch.
FŒNICULUM porcinum,
Peucedanum.
FŒNICULUM dulce Officinarum.

FŒNICULUM tortuosum, V. Seseli Massiliense.
FŒNI Græci Semen.
FOLIA Orientalia, V. Senna.
FOLIUM Indum, V. Malabathrum.
FOLLICULI Bombycini, seu Serici.
FORMICÆ majores.
FRAGARIA.
FRAMBŒSIA,
Rubus Idæus.
FRAXINELLA,
Dictamnus albus.
FRAXINUS.
FULIGO.
FUMARIA.
FUNGUS Laricis, V. Agaricum.
FUNGUS Melitensis, V. Fungus Typhoides.
FUNGUS pulverulentus,
Crepitus Lupi.
FUNGUS Sambuci.
FUNGUS Typhoides tuberosus.
Melitenses, qui ad nos deferuntur hujusmodi Fungi, aridi, oblongi, & fere capitati sunt; extrinsecus ferruginei coloris, intus subrufi, vel fusci, eorumque subsalsus, ac terrestris sapor est.
FURFUR.

G

GALANGA minor
Radix tuberosa, extrinsecus ductis in orbem palli-
dis

dis funiculis, velut in plures zonas diſtincta. Tota eſt rufa, ſapore acri, & ſtyptico, odore fragrante aromatico.

GALANGA major

Minore craſſior eſt, minus odorata, minus acris, colore autem magis diluto.

GALBANUM

Sive in guttas Olibano fere ſimiles, ſive in maſſam coactum, deligatur flavum, reſinoſum, purum, pingue, nec valde tenax, nec penitus aridum; odore gravi, ſapore acri ſubamaro.

GALEGA vulgaris.

GALEOPSIS,

Urtica iners flore purpureo.

GALLA Noſtras.

GALLA Orientalis

Probatur gravis, denſa, intus lucida, & ſubnigra.

GENEPI,

Abſinthium Alpinum candidum, humile.

GENISTÆ junceæ Flores, & Semen.

GENTIANÆ majoris Radix.

GIN-SENG

Oblonga radix auricularis digiti, vel calami ſcriptorii craſſitie, interdum bifida, ambientibus ſignata rimulis, ſubflava, ſolida, inſipida primum, mox ſubdulcis cum levi quadam acritudine, & amaritie, odore ſuavi. Rariſſima eſt, maximoque pretio venditur.

GLANS Unguentaria, V. Balanus Myrepſica.

GLUTEN Piſcium.

GLYCYRRHIZA ſiliquoſa,

Liquiritia.

GOSSIPIUM,

Bombax Officinarum.

GRAMINIS Canini arvenſis Radix.

GRANA Paradiſi,

Cardamomi majoris Semina.

GRATIOLA.

GROSSULARIA non ſpinoſa,

Ribes Officinarum.

GUAIACI Cortex

Probatur tenuis, durus, ex pluribus lamellis tenuiſſimis conflatus, qui ex cinereo, vel cæruleo ad ſubviridem colorem vergat, intus lucidus, & fractu difficilis.

GUAIACI Gummi

Mundum ſit, colore ſubnigro rubente, perlucidum, friabile, ſuaveolens dum incaleſcit, ſapore acri.

GUAIACI Lignum

Solidum, denſum, reſinoſum eſt, & in aqua demergitur; lucidum quoque, & ſuaveolens dum caleſcit; exteriori parte buxei coloris, interiore ſubnigra.

GUMMI Ammoniacum, V. Ammoniacum Gummi.

GUMMI Anime, V. Anime.

GUMMI Arabicum

Eligendum eſt nitidum, ſiccum, pellucidum, inſipidum, quod aqua facile diſſolvatur.

GUMMI Caranna, V. Caranna.

GUMMI Elemi, V. Elemi.

GUMMI

GUMMI Gutta

Probatur ſiccum, purum, lucidum, colore flavo ſubrufo, quod vini ſpiritu prorſus diſſolubile ſit. Doſis a granis quatuor ad octo.

GUMMI Hederæ, V. Hederæ Gummi.

GUMMI Juniperi, V. Juniperi Gummi.

GUMMI Lacca, V. Lacca.

GUMMI Sagapenum, V. Sagapenum.

GUMMI Tacamahaca, V. Tacamahaca.

GUMMI Tragacanthum, V. Tragacanthum.

GUTTA Gamba, V. Gummi Gutta.

H

HÆMATITES

Sit gravis, purus, nitidus, oblongis fibris cuſpidatis conſtans, cui pulverato ſatura rubedo accedat.

HALANDAL, V. Colocynthis.

HALICACABUM,

Alkekengi.

HEDERA arborea.

HEDERA terreſtris.

HEDERÆ Gummi

Sit purum, perlucidum; obſcuro colore ſubrubro, ſapore ſubamaro, odore gravi, intus nitore vitreo.

HELENIUM,

Enula Campana.

HELLEBORI albi) nigri) Radix.

HEL-

HELXINE,

Parietaria.

HEPATICA Fontana.

HEPTAPHYLLUM,

Tormentilla.

HERBA Paralyſis,

Primula veris.

HERBÆ quinque Capillares Officinarum:
Adianthum album,
Capillus Veneris,
Ceterach,
Lingua Cervina,
Polytrichum.

HERBÆ quinque Emollientes Officinarum:
Althæa,
Beta,
Malva,
Mercurialis,
Viola.

HERMODACTYLUS Officinarum.

Tuberoſa hæc radix albida ſit, ponderoſa, ſine carie, ſapore ſubacri.

HERNIARIA,

Polygonum minus.

HIPPOLAPATHUM,

Rhabarbarum Monachorum.

HIPPURIS,

Cauda Equina.

HIRCI montani Sanguis concretus.

HIRUNDINARIA,

Chelidonium majus.

HIRUNDINES.

HISPIDULA.

HORDEI Semen.

HORMINUM,

Sclarea.

HYACINTHUS Lapis.

HYDRARGYRUS,

Argentum vivum.

HYDROPIPER,

Persicaria urens.

HYOSCYAMUS albus,
niger.

HYPERICUM vulgare.

HYPOCISTIS.

Concretus hic Succus niger, lucidus, gravis sit, arenularum expers, sapore acido austero, sine empyreumate.

HYSSOPUS.

I

JACOBÆA.

JALAPPA

Extrinsecus subnigra sit, intus cinerea & subrufa, solida, fractu contumax, & in plures circulos dispositis resinosis partibus nitens; quæ in ignem iniecta flammam facile concipiat. Dosis a drachma dimidia ad drachmam unam.

IBISCUS,

Althæa.

ICHTYOCOLLA,

Gluten Piſcium.

JECORARIA,

Hepatica Fontana.

IMPERATORIÆ Radix.

INTYBUS,

Endivia.

INULA,

Enula Campana.

IPECACUANHA

Radix Americana calamo ſcriptorio plerumque exilior, tortuoſa, ſuperficie inæquali, fuſco, vel albido colore, vel cinereo ad rufum inclinante. Eligatur craſſa, compacta, reſinoſa.

IRIS Florentina

Cortice denudata radix, alba, compacta, gravis & intus lucida ſit, odore violaceo, ſapore paullulum acri & ſubamaro, non carioſa.

IRIS vulgaris, ſive ſilveſtris.

IVA Arthetica, ſive Arthritica,

Chamæpitys lutea vulgaris.

JUIUBÆ.

JUNCUS odoratus, V. Schœnanthum.

JUNIPERI vulgaris fruticoſæ Lignum, & Baccæ.

JUNIPERI Gummi

In lacrymas oblongas concretum, ſincerum, nitidum, translucens, albidum, & cum inveteraſcit ſubflavum, odoris, dum accenditur, fragrantis.

JUPITER,

Stannum.

JUS-

JUSQUIAMUS,
Hyoſcyamus.

K

KARABE, V. Succinum.
KERMES, V. Chermes.
KINAKINA, V. Chinachina.

L

LABDANUM, ſeu Ladanum
Probatur leve, pingue, reſinoſum, ſubamarum, colore fuſco, quod tactu facile molleſcat, &, dum accenditur, gratum odorem ſpiret.

LACCA in ramulis
Pellucida, inæqualiter granoſa eligatur, intus cavernoſa, quæque dentibus trita rubicundo colore ſalivam inficiat.

LACERTÆ virides.
LACTUCA hortenſis.
LACTUCA ſilveſtris,
Scariola.
LAMIUM album,
Urtica iners flore albo.
LANA ſuccida.
LAPATHI acuti Radix.
LAPATHUM hortenſe latifolium,
Rhabarbarum Monachorum.
LAPIS Bezoardicus, V. Bezoar.

LAPIS Calaminaris, V. Calaminaris Lapis.

LAPPA major,

Bardana major.

LAVANDULÆ Spicæ florentes.

LAURUS tenuifolia.

LAURUS vulgaris latifolia.

LENTISCI Lignum

E Chio delatum, & ponderoſum præcipue commendatur; cujus corticis color cinereus, vel fuſcus in ſubruſum, albida ſubſtantia ſolida, & compacta in flavum vergat. Quandoque Maſtices lacrymæ paſſim cortici inhæreſcunt.

LEPORIS Pili, & Sanguis.

LEUCANTHEMUM,

Chamæmelum vulgare.

LEUCOIUM luteum vulgare,

Cheiri.

LEVISTICUM,

Siler montanum.

LICHEN arboreus.

LICHEN petræus latifolius,

Hepatica Fontana.

LIGNI ſancti Cortex, V. Guajaci Cortex.

LIGNUM Aloes

Omnino rariſſimum eſt, cujus tamen nomine appellari ſolent in Officinis quædam lignorum fragmenta, quæ magnitudine, gravitate, & colore inter ſeſe differunt. Illud autem genuinum cenſetur, quod ponderoſum, durum, verſicolor, pingue, & ſubamarum ſit, ac, dum comburitur, ſuavem odorem ſpiret.

LI-

LIGNUM fœniculatum, V. Saſſafras.
LIGNUM Nephriticum, V. Nephriticum Lignum.
LIGNUM Pavanum, V. Saſſafras.
LIGNUM Rhodium,
Cyprium,
Roſaceum.
Radix lignoſa, nodoſa, denſa, ſolida, pinguis, ſubflava, ſubamari ſaporis; odoriſque roſei.
LIGNUM ſanctum, V. Guajacum.
LIGUSTICUM,
Siler montanum.
LILII Convallium Flores.
LILIUM album.
LIMACES teſtaceæ.
LIMONES,
Mala Limonia.
LINGUA Canina,
Cynogloſſum.
LINGUA Cervina Officinarum,
Scolopendrium.
LINI ſativi Semen.
LIQUIRITIÆ Radix.
LIQUIRITIÆ Succus concretus
Sit denſus, lucidus, ac dulcis: contrectatus facile molleſcat, & in ore detentus prorſus liquetur.
LITHARGYRUS, ſeu Lithargyrium Auri,
Argenti.
LITHOSPERMUM,
Milium Solis.
LUCII Piſcis Mandibulæ.
LUJULA,

Acetosella.

LUMBRICI terrestres,

Vermes terrestres.

LUNA,

Argentum.

LUNARIA Botrytis.

LUPINI Semen.

LUPULUS.

LYCOPERDON vulgare,

Crepitus Lupi.

M

MACIS.

Medium hoc Nucis moschatæ involucrum subrufi coloris sit, odoris grati aromatici, saporis subacris, & jucundi.

MACROPIPER, V. Piper longum.

MAJORANA vulgaris.

MALABATHRUM, seu Folium Indum Officinarum Lauri vulgaris folio amplius est. Nervi tres a petiolo ad apicem folii producuntur. Densum est, fractu contumax, glabrum, splendens, subviride.

MALICORIUM,

Granatorum Cortex.

MALI Granatæ sativæ Flores, & Fructus.

MALI Granatæ silvestris Flores.

MALI Persicæ Flores, & Nuclei.

MALVA vulgaris.

MALUM

MALUM Aurantium Vulgare,
Lusitanicum,
Sinense.
Citreum,
Citreum Florentinum odoratissimum, vulgo *Cedrato*.

MALUM Cotoneum, vel Cydonium.

MALUM Limonium.

MANDRAGORA.

MANNA

Calabrica laudatur, recens, granosa, albida, sincera, saporis subdulcis, quæ facile aqua dissolvatur.

MARGARITÆ

Eligantur tam Orientales, quam Occidentales, candidæ, & pellucidæ, quæ tum cito in pulverem redigantur, tum aquam lactescentem efficiant.

MARRUBIUM album vulgare.

MARS,

Ferrum.

MARUM

Cum raro ad nos deferatur, ejus loco Majorana utimur.

MASTICHE, vel Mastice,

Resina Lentisci

Optima ex Chio, quæ sincera, translucens, odora, & friabilis sit, tum in oleo facile liquescat.

MATER Perlarum.

MATRICARIA vulgaris.

MATRISYLVA.

MECHOACANNA

Crassa Radix, albida, circulis distincta, sapore farinaceo, odore nullo. Improbanda est acris, subamara, & cariosa. Exhibetur a scrupulis duobus ad quatuor.

MEDULLA cruris Bovis,
Cervi,
Vituli.

MEL Hispanicum.

MEL Nostras.

MELILOTUS vulgaris flore luteo.

MELISSA hortensis.

MELONIS Fructus, & Semina.

MENTHA cataria,
Nepeta.

MENTHA sativa, vel hortensis.

MENTHA silvestris,
Mentastrum.

MENYANTHES,
Trifolium fibrinum.

MERCURIALIS.

MERCURIUS,
Argentum vivum.

MESPILI vulgaris Fructus.

MEU, vel Meum Athamanticum

Oblonga Radix capite barbato, digitum fere crassa, vel amplius; extrinsecus subnigra, intus albida, & subflava. Probatur recens, cujus odor aromaticus, sapor acer, & subamarus.

MILII Solis Semen.

MILLEFOLIUM vulgare.

MILLEGRANA major,
Herniaria.
MILLEGUETA,
Cardamomi majoris Semen.
MILLEPEDÆ.
MINIUM.
MOMORDICÆ vulgaris fructus.
MORI nigræ Fructus.
MORSUS Diaboli,
Succisa.
MOSCHUS.
Laudatur is, qui admodum olet, ex rufo ad obscurum colorem inclinans, subamarus, arenularum expers, nec valde humidus, nec siccus omnino.
MUMIA Officinarum
Pura sit, compacta, subnigra, ~~lucida~~, odore gravi, non ingrato.
MUSCERDA,
Stercus Murium.
MUSCUS arboreus villosus.
MUSCUS aureus, seu capillaris,
Adianthum aureum.
MUSCUS marinus, V. Corallina.
MUSCUS terrestris clavatus,
Lycopodium.
MYRISTICA Nux, V. Nux Moschata.
MYROBALANI quinque:
Citrina densa, carnosa, gravis, angulosa.
Bellerica rotunda, ponderosa, rufo cortice, pulpa abundans, qua inclusum est ossiculum.

Che-

Chebula omnium maxima, oblonga, paullulum rugoſa, colore fuſco, cortice craſſo, oſſiculo oblongo.

Emblicæ ſubrotunda figura, obſcuruſque color. Quod in pulpa includitur os anguloſum, perſæpe deeſt in hac Myrobalano, quæ raro integra ad nos defertur.

Inda oblonga, parva, nigra, rugoſa, denſa, & & dura; plerumque caret oſſiculo.

MYRRHA

In lacrymas concreta ſit, concolor, & reſinoſa, quæ confracta albidas intus micas habeat: lucida etiam, odora, pinguis, & amara.

MYRTUS latifolia communis.

MYXA, V. Sebeſten.

N

NAPI dulcis ſativæ, vel ſilveſtris Semen.

NARDUS Celtica,

Spica Celtica.

NARDUS Indica

Oblonga radix, in modum ſpicæ comoſa, fibris convolutis, levis, colore fuſco ſubrufo, aromatica, ſubacris, & paullulum amara.

NARDUS Italica,

Lavandula.

NASTURTIUM aquaticum.

NASTURTIUM hortenſe.

NASTURTIUM Indicum.

NENUPHAR,

Nymphæa.

NEPETA.

NEPHRITICUM Lignum.

Exterior Ligni pars pallida, & ſubflava; interior obſcura, ſolidior, gravior, & ſubamara. Huic Ligno peculiare illud eſt, quod aqua ex eodem infuſo colorem varium referat; ſi enim in vitreo vaſe ad ſolis radios ſpectetur, flava; e contraria parte cærulea apparet.

NERIUM,

Oleander.

NICOTIANA,

Tabacum.

NIGELLÆ flore minori ſimplici Semen.

NISI, V. Ginſeng.

NITRUM.

NOSTOCH,

Cælifolium,

Flos Terræ.

NUCLEI Perſici.

NUCLEI Pinei.

NUMMULARIA.

NUX Avellana, ſeu Corylina;

Ben, V. Balanus Myrepſica;

Cupreſſi,

Juglans.

NUX Moſchata, ſeu Nuciſta

In ſuperficie cineracea, intus ſubrufa, albidiſque venis diſtincta. Sit gravis, odorata, non carioſa.

NYMPHÆÆ Radix, & Flores.

O

OCIMUM citratum.
OCULI, ſeu Lapilli Cancrorum
Albidi ſint, orbiculati, ex lamellis compoſiti, altera parte convexi, ubi ſulculi ramoſi apparent; altera compreſſi, & circulatim ſinuoſi, ut rudem quamdam ſigilli formam referant.
OCULI Populi,
Populi Gemmæ.
OLEANDER.
OLEUM Olivarum,
Commune.
OLEUM Petræ, V. Petroleum.
OLIBANUM
In guttas concretum ſit albidas, pellucidas, & pingues, ſaporis amari, odoris, dum accenditur, ſuavis.
ONONIS, ſeu Anonis.
OPHTALMICA,
Euphragia.
OPIUM
Eligendum eſt compactum, ſordium expers, fuſcum, lucidum, graveolens, ſubamarum, & inflammabile: cavernoſum vero, nigrum, acerrimumque reiiciendum. Exhibetur a grano dimidio ad granum unum.
OPOBALSAMUM, V. Balſamum Ægyptium.
OPOPANAX

In croceos grumos coactus, friabilis, facile in aqua liquescens, sapore acri, amaro; gravique odore ad Galbanum accedente.

ORCHIS,
Satyrium.

ORIGANUM vulgare.

OROBI Semen.

OSMUNDA foliis lunatis,
Lunaria Botrytis.

OSMUNDA regalis,
Filix florida.

OS Sepiæ.

OSTEOCOLLA.

OXALIS minor,
Acetosa arvensis lanceolata.

OXALIS sativa,
Acetosa hortensis.

OXYACANTHA,
Berberis.

OXYLAPATHUM,
Lapathum acutum.

OXYS flore albo,
Acetosella.

P

PÆONIÆ maris Radix, & Semen.

PÆONIÆ fœminæ Flores.

PALMULA, V. Dactylus.

PANIS porcinus,
Arthanita.

PAPAVERIS albi Capita, & Semina.
PAPAVERIS erratici, rubri, ſeu rhœados Flores.
PARADISI Grana,
Cardamomi majoris Semina.
PARALYSIS herba,
Primula veris.
PAREIRA brava
Tortuoſa Radix pollicari, & amplius, interdum brachiali craſſitudine, extrinſecus fuſca, aut nigricans, intus ſubpallida, paullulum dulcis, & ſubamara.
PARIETARIA.
PARONYCHIA.
PARTHENIUM,
Matricaria.
PASSULÆ majores,
Paſſulæ Damaſcenæ.
PASSULÆ minores,
Paſſulæ Corinthiacæ.
PAVONIS Stercus.
PEDICULARE Granum, V. Staphiſagria.
PENTAPHYLLUM,
Quinquefolium.
PERFORATA,
Hypericum.
PERICLIMENUM,
Matriſilva.
PERLÆ, V. Margaritæ.
PERSICARIA mitis maculoſa.
PERSICARIA urens.
PERSONATA,

Bardana.

Bardana.

PERVINCA,

Vinca pervinca.

PES Cati Officinarum;

Hispidula.

PETASITES major vulgaris.

PETROLEUM

Limpidum sit, tenue, subflavum, odoris bituminosi acuti, saporis subacris subamari.

PETROSELINUM,

Apium hortense.

PETROSELINUM Macedonicum

Exile Semen oblongum, leve, striatum, ex fusco ad subviridem colorem vergens. Mundum sit, nutritum, odore aromatico, sapore acri, & subamaro.

PETUM,

Tabacum.

PEUCEDANI Radix.

PHU,

Valeriana.

PHYLLITIS,

Lingua Cervina.

PICEA Latinorum,

Abies rubra.

PILA marina.

PILOSELLA major repens hirsuta.

PIMPINELLA sanguisorba.

PINGUEDO, V. Adeps.

PINI Nuclei, Resina, Strobili.

PIPER longum

Sit ponderosum, albida superficie granosa, aromaticum, & acerrimum.

PIPER nigrum, & album.

Utrumque probatur, quod bene nutritum, ponderosum, parum rugosum, intus albidum, saporis acris, & fervidi aromatici, odoris fragrantis acuti.

PIPER Indicum,

Capsicum.

PISTACIA.

PITYUSA,

Esula minor.

PIX Burgundica

Ex albido ad citrinum colorem vergat; mollis, & pinguis sit in modum ceræ, odore non ingrato.

PIX navalis.

PIX nigra, cujus loco navalis adhiberi solet.

PIX Resina,

Resina pinea.

PLANTAGO angustifolia,

Quinquenervia.

PLANTAGO latifolia.

PLUMBUM.

POLII montani Summitates floridæ.

POLYGONATUM latifolium,

Sigillum Salomonis Officinarum.

POLYGONUM majus,

Centinodia.

POLYGONUM minus,

Herniaria.

POLYPODII querni Radix.

POLYTRICHUM Officinarum,

Trichomanes.

POMA curtipendula fragrantia.
POMPHOLIX
Quod raro inveniri ſoleat, ejus loco Tuthia adhibetur.
POPULI Gemmæ, ſive Oculi.
PORRI ſativi Radix.
PORTULACA ſativa, ſeu latifolia.
POTENTILLA.
PRASSIUM album,
Marrubium album vulgare.
PRIMULA veris flore luteo ſimplici.
PRUNA Damaſcena.
PRUNELLA,
Conſolida minor.
PRUNI ſilveſtris Flores, & Fructus.
PSYLLII Semen.
PULEGIUM vulgare, ſeu latifolium.
PULMONARIA arborea,
Lichen arboreus.
PULMONARIA maculoſa latifolia.
PUMEX.
PUNICA,
Malus Granata.
PYRETHRUM
Sit ponderoſum, fractu difficile, ſapore acerrimo.
PYROLA rotundifolia major.

Q

QUERCULA,
Chamædrys.
QUERCUS.

QUIN-

QUINQUEFOLIUM.
QUINQUENERVIA.

R

RADICES quinque Aperientes Officinarum:
Apii dulcis,
Asparagi,
Brusci,
Fœniculi,
Petroselini.

RANARUM Sperma.
RANÆ aquaticæ.
RANUNCULUS minor,
Chelidonium minus.
RAPÆ sativæ Radix, & Semen.
RAPHANI hortensis Radix, & Semen.
RAPHANI rusticani Radix.
RAPUM Terræ,
Arthanita.
REGINA Prati,
Ulmaria.
RESINA pinea.
RESTA Bovis,
Anonis.
RHABARBARUM, Rha, vel Rheum
Sit grave, odorum, sine carie, intus versicolor, rubrisque intermistis venis ad carneum colorem accedens, quod salivam croceo colore mansum intingat, & gustu subamarum, ac stypticum percipiatur. Dosis

a

a ſcrupulis duobus ad quatuor.

RHABARBARI Monachorum Radix.

RHAPONTICUM

Adhibendum eſt Orientale, vel Thracicum, faciem habens Rhabarbari, magis tamen oblongum, & ruſum, minuſque craſſum. Levi quadam acritudine, amaritie, lentore, & aſtrictione guſtum afficit, atque in eo tranſverſim ſecto circuli radiati cernuntur.

RHEUM, V. Rhabarbarum.

RHUS Obſoniorum, V. Sumach.

RIBES Officinarum,

Ribeſii Fructus ruber.

RICINUS,

Cataputia major.

ROSA alba.

ROSA Damaſcena.

ROSA pallida.

ROSA rubra.

ROSA ſilveſtris, ſeu canina,

Cynorrhodon.

ROSMARINUS.

RUBI Idæi ſpinoſi Fructus, qui *Frambœſia* vulgo appellantur.

RUBI vulgaris Fructus, Mori ſilveſtres dicti.

RUBIÆ Tinctorum Radix.

RUMEX,

Lapathum acutum.

RUSCUS,

Bruſcus.

RUTA Capraria,

Galega.
RUTA hortenſis latifolia.
RUTA muraria.

S

SABADILIA,
Sabadilli,
Sabaidilla.
In folliculo Delphinii ſiliquæ non multum abſimili, triquetro, ſubrufo continentur Semina tria oblonga, nonnihil curva, extrinſecus nigra, intus albida, ſaporis acris, & amari.

SABINA.

SACCHARUM album,
rubrum,
candum, vel cantum.

SAGAPENUM
Optimum eſt, quod purum, nitidum, & in guttas concretum, extrinſecus fulvas, intus albidas, ſapore acri, odore gravi, & alliato.

SAL Ammoniacum, vel Armoniacum
In ſuperficie cineraceum, intus cryſtallinum, candidum purum, & ſiccum, guſtu ſalſum, & peracutum.

SAL commune.

SAL gemmæ.

SAL marinum,
Sal commune.

SAL Nitri,

Nitrum.

Nitrum.

SALIX Amerina,

Agnus castus.

SALIX vulgaris alba arborescens.

SALSA Parilla

Sit flexilis, non cariosa, nec pulverulenta dum frangitur; & assulatim facile scindatur; cujus substantia candida, parvumque meditullium. Quæ crassior est maxime probanda.

SALVIA hortensis.

SALVIA vitæ,

Ruta muraria.

SAMBUCUS vulgaris.

SAMBUCUS humilis,

Ebulus.

SAMPSUCUS,

Majorana vulgaris.

SANDARACA Arabum, V. Juniperi Gummi.

SANGUIS Draconis.

In grumos puros, lucidos, fragiles, & admodum rubicundos hoc Gummi concretum sit.

SANICULA Officinarum.

SANICULA Alpina,

Auricula Ursi.

SANTALUM, vel Sandalum album.

SANTALUM citrinum

Eligendum est solidum, ponderosum, sine carie, subflavum, & odoriferum.

SANTALUM rubrum

Solidum sit, densum, grave, in aqua subsidens, ru-

bicundo colore obſcuro : idemque manſum nec guſtu dulce ſit, nec ſalivam intingat.

SANTONICUM

Mundum ſit, recens, pallidum, & ſubviride, gravi odore aromatico, ſapore acri & amaro.

SAPONARIA vulgaris, ſeu lævis.

SARCOCOLLA

Gummi leve, friabile, ſpongioſum, lucidiſque micis intermixtum, guſtu ſubamarum, cum quadam dulcedine. Quod recens pallidum eſt, vetuſtum nonnihil rubet.

SARSA Parilla, V. Salſa Parilla.

SASSAFRAS.

Ligno præcellit Radix, quæ cortice extrinſecus cinereo, intus rubro obtegitur. Ipſa autem lignoſa Radix ponderoſa ſit, ſubruſa, Fœniculi odorem ſpirans, ſapore ſubdulci, & ſubacri.

SATIRII Radix.

SATUREJÆ ſativæ Summitates.

SATURNUS,

Plumbum.

SAXIFRAGÆ Radix.

SCABIOSA vulgarismajor.

SCAMMONIUM

Syriacum, ſeu ex Alepo delatum cæteris præſtantius habetur; ſitque purum cinerei obſcuri coloris, lucidum, leve, friabile, reſinoſum, ſubamarum, graveolens; idemque madidis contrectatum digitis albeſcat. Illud rejiciendum, quod acre admodum ſit, nigrum, durum, fractu contumax, & ponderoſum.

Exhi-

Exhibetur a granis decem ad quindecim.

SCARIOLA.

SCHŒNANTHUM.

Eligantur Flores, vel Summitates floridæ, carnei coloris, odoris ſuavis, &, cum incaleſcunt, reſinoſi, ſaporis acris ſubamari.

SCILLÆ vulgaris Radix.

SCINCUS Marinus

Cum Lacerta viridi quamdam habet ſimilitudinem; ſed magis exiguum, atque oblongum Scinci caput eſt, roſtrum acutius, dorſum latius, & ſquamoſa cute argentea tectum, quæ tranſverſis ſubnigris zonis paſſim diſtincta eſt.

SCLAREA.

SCOLOPENDRIA,

Lingua Cervina.

SCORDIUM.

SCORPIONES.

SCORZONERA latifolia ſinuata, ſeu Hiſpanica.

SCROPHULARIÆ majoris nodoſæ Radix.

SCROPHULARIA minor,

Chelidonium minus.

SEBESTEN.

Pruno ſimilis Fructus hic eligatur recens, carnoſus, ſubdulcis, & nigricans.

SEBUM, vel Sevum

Bovinum,

Cervinum,

Hircinum,

Ovillum.

SEDUM majus,

Sempervivum majus.

SEDUM minus.

SEDUM minimum,

Vermicularis.

SEMEN Badianum, V. Anisum stellatum.

SEMEN sanctum, V. Santonicum.

SEMINA quatuor calida majora Officinarum:

Anisi,
Cumini,
Carvi,
Fœniculi.

SEMINA quatuor calida minora:

Ammeos,
Amomi,
Apii hortensis,
Dauci.

SEMINA quatuor frigida majora:

Citrulli,
Cucumeris,
Cucurbitæ,
Melonis.

SEMINA quatuor frigida minora:

Cichorii,
Endiviæ,
Lactucæ,
Portulacæ.

SEMPERVIVUM.

SENNA Orientalis

Integra sit, munda, tactu lævis, nec maculata, nec pulverulenta.

SEPIÆ

SEPIÆ Os.

SERICI Folliculi.

SERPENTARIÆ majoris Radix.

SERPENTARIA Virginiana

Valde odorata eſt, ruſſeo colore diluto, ſapore acri ſubamaro. Quæ vetuſtate, aut corruptione nigruit, & multum odoris amiſit, repudianda.

SERPYLLUM vulgare.

SERTULA Campana,

Melilotus.

SESELI Maſſilienſe

Anguloſum Semen ad Fœniculi formam accedens; odoris grati, ſaporis acris aromatici.

SIGILLI Salomonis Radix.

SILERIS montani Semen.

SILIQUA edulis,

Caroba Officinarum.

SIMAROUBÆ Cortex, & Lignum.

Corticis ſuperficies inæqualis, vel aſpera eſt; pallidus color, qui ad ſubflavum vergit; idemque fibroſus Cortex, inodorus, & ſubamarus eſt, a ſubjecto Ligno candido, leviſſimoque facile ſeparabilis.

SINAPI Semen.

SISYMBRIUM aquaticum,

Naſturtium aquaticum.

SMILACIS aſperæ Radix.

SMILAX aſpera Peruana, V. Salſa Parilla.

SOL,

Aurum.

SOLANUM Officinarum acinis nigricantibus, ſeu hortenſe.

SOLANUM vesicarium,

Alkekengi.

SONCHUS asper,

Cicerbita aspera.

SONCHUS lævis,

Cicerbita lævis.

SORBI sativæ Fructus.

SPARTIUM arborescens,

Genista juncea.

SPERMA Ceti

Sit recens, candidum, tenerum, pingue, ex nitidis squamulis conflatum, non rancidum, nec flavum.

SPERNIOLA,

Ranarum Sperma.

SPICA Celtica.

SPICA Nardi, V. Nardus Indica.

SPICA vulgaris,

Lavandula.

SPINA acida,

Berberis.

SPINA Cervina, seu infectoria,

Rhamnus Catharticus.

SPINA solstitialis,

Carduus stellatus.

SPINACHIA vulgaris.

SPONGIA marina.

SPONGIA Rosæ silvestris.

STANNUM,

Jupiter.

STAPHISAGRIA

Semen fere triquetrum, ſubnigrum, aſperum, intus albidum, aut flaveſcens, valde amarum, acerrimumque.

STELLARIA.

STIBIUM,

Antimonium.

STŒCHAS Arabica.

Eligenda hæc Spica florida, odorata, ſaporis ſubacris, ſubamari.

STROBILI, V. Coni.

STYRAX Calamita

Sit purus, pinguis, reſinoſus, rufus, albidis micis interſtinctus, odore ſuavi, ſapore ſubacri.

STYRAX liquidus Officinarum

Terebinthina craſſior, cinerei coloris, odoriſque gravis; licet Styracem Calamitam paullulum redoleat.

SUBER.

SUCCINUM album,
citrinum

Sit purum, & perlucidum, quod feſtucas, paleaſque attrahat, accenſumque gratum odorem exhalet.

SUCCISA.

SUCCUS Liquiritiæ inſpiſſatus, V. Liquiritiæ Succus.

SULPHUR nativum, ſeu vivum.

SULPHUR fuſum, ſeu citrinum.

SUMACH

Racemoſus fructus baccis, ſeu acinis rubris conſtans, acidi ſaporis, quibus incluſum eſt ſemen prædurum, planum, coloris fere ſpadicei.

SYMPHYTUM maculoſum,

Pulmonaria maculosa latifolia.

SYMPHYTUM majus,

Consolida major.

SYMPHYTUM medium,

Consolida media.

SYMPHYTUM minimum,

Bellis minor.

SYMPHYTUM minus,

Prunella.

T

TABACUM.

TACAMAHACA

Sicca, resinosa, rufa, nitida, albidisque micis distincta, suaveolens, & aromatica.

TAMARINDI

Plurimis fibris intertexti sunt, cum officulis duris fere quadratis, & lucidis. Sint recentes, teneri, rufi obscuri coloris, saporis subacidi vinosi.

TAMARISCUS.

TANACETI vulgaris lutei Flores.

TAPSI barbati Flores.

TARAXACUM,

Dens Leonis.

TARTARUM album,
rubrum.

TEREBINTHINA

Ceteris præstantior Chia vel Cypria. quæ Nostrate crassior est, pura, translucida, ex flavo colore ad viridem,

dem, vel cæruleum vergens, odorata, & subacris.

TERRA Japonica, V. Catechu.

TERRA Lemnia,

Terra sigillata.

TESTUDO terrestris.

THLASPI, vel Thlaspios Semen.

THE, vel Thea.

THUS, V. Olibanum.

THYMELÆÆ Radix

Adhibetur Romana, extrinsecus rufa, intus albida, ex mollibus lanuginosis fibris conflata.

THYMUS vulgaris.

TILIÆ feminæ folio minori Flores.

TITHYMALUS folio Pini,

Esula minor.

TORMENTILLÆ Radix.

TRAGACANTHUM

Sit album, lucidum, leve, gracile, vermiculatum.

TRAGOPOGON,

Barba Hirci.

TRIBULUS terrestris.

TRICHOMANES.

TRIFOLIUM acetosum,

Acetosella.

TRIFOLIUM fibrinum.

TRIFOLIUM hepaticum,

Herba Trinitatis.

TRIFOLIUM odoratum,

Melilotus vulgaris.

TRIXAGO,

Chamædrys.

TUNICA,

Caryophyllus hortensis.

TURBITH, seu Turpethum.

Crassa hæc Radix, & resinosa sit, extrinsecus fusca, intus albida, fractu contumax, non cariosa. Dosis a Drachma dimidia ad drachmam.

TUSSILAGO,

Farfara.

TUSSILAGO major,

Petasites major vulgaris.

TUTHIA

Ponderosa, & fractu difficilis, ex cinereo ad cæruleum colorem vergens; convexa ejus pars tuberculis aspera, concava lævis, gustu acris, odore nullo. Ignita, dein frigefacta nativum colorem retinet.

TYPHI cervini,

Tenella, & lanuginosa Cervorum Cornua.

V

VALERIANÆ silvestris Radix.

VANILLA, vel Vanilia

Pinguis sit, gravis, mollis, flexilis, odoratissima, jucundi, & subacris saporis, nigra, & lucida semina includens.

VENUS,

Æs.

VERATRUM,

Helleborus.

VERBASCULUM,

Primula veris.

VER-

VERBASCUM mas latifolium luteum,
Tapſus barbatus.
VERBENA vulgaris.
VERMES terreſtres.
VERMICULARIS,
Sedum minimum.
VERONICA mas ſupina vulgatiſſima.
VERONICA aquatica,
Beccabunga.
VINCA Pervinca.
VINCETOXICI Radix.
VIOLA Martia flore ſimplici odoro,
Violaria.
VIPERARIA,
Scorzonera.
VIPERÆ.
VIPERINA Radix, V. Serpentaria Virginiana.
VIRGA aurea vulgaris latifolia.
VISCUS quernus
Sit ponderoſus, fuſca ſuperficie, intus ex flavo ad rufum colorem inclinans, & radiatus.
VITEX,
Agnus caſtus.
VITIS alba,
Bryonia alba.
VITRIOLUM album,
cæruleum, ſeu Cyprium,
viride.
ULMARIA.
ULMI Cortex, Folia, & Liquor Veſicularum.

UNGULA Alcis.

UNICORNU, vel Cornu fossile

Cortex subcinereus, vel subniger, durior medulla, quæ ex laminis composita, albida, friabilis est instar ossis usti, & linguæ facile adhæret.

UNIONES, V. Margaritæ.

URTICA urens major, & minor.

URTICA iners flore albo.

URTICA iners flore purpureo.

UVÆ passæ.

VULPES.

X

XYLOALOE, V. Lignum Aloes.

XYLOCASSIA, V. Cassia lignea.

XYLON,

Bombax Officinarum.

Z

ZEDOARIA

Radix tuberosa, extrinsecus cinerea, parum rugosa, intus subrufa, resinosa, lucida, saporis acris subamari, odoris ad Caphuram accedentis.

ZINZIBER, vel Zingiberi

Radix nodosa, odorata, resinosa, saporis acris piperati. Deligatur solida, & fractu contumax.

ZIZYPHA,

Jujubæ.

PHAR-



PHARMACOPŒÆ TAURINENSIS
PARS ALTERA,

In qua Medicamenta Præparandi, & Componendi Ratio traditur.

CAPUT I.

De Simplicium quorundam Medicamentorum Præparatione.

§. I.

Quæ Purgatione Præparanda sunt.

PINGUEDINES



A Membranis expurgatæ diligenterque ablutæ minutim concidantur: in fictile liquefiant igne lenissimo ad humoris aquosi exhalationem: tum percolatæ, & in figlino, vel vitreo vase repositæ frigido loco serventur.

ŒSY-

ŒSYPUS.

Lana recens ſub collo, alis, & coxis Ovium defatigatarum detonſa in aquam calidam mergatur ad extrahendam Pinguedinem: expreſſione facta aquam ex alto effunde de uno vaſe in alterum. Cum ſpuma ſubſiderit, innatantem Adipem collige, idoneo vaſe reponendam: idque toties repete, donec Pinguedinem ſupernatare nullam videas; que tandem omnis coacta evaporet q. s. & percoletur.

SERUM LACTIS

Cum Ovi Albumine agitato miſtum pauliſper bulliat; tum addito Succo Limonis, vel Cryſtallo Tartari, quantum ſatis ſit, etiamnum ferveat aliquantulum, deinde quieſcat: mox panno percoletur. Serum quoque ſine acido, tantumque Albumine Ovi adhibito purgari poteſt, quod poſtea per chartam trajiciendum.

ALUMEN

Aqua communi ſolvatur: Solutio per chartam bibulam trajecta ad cuticulam evaporet: tum in cella vinaria reponatur, ut fiant Cryſtalli.

Simili modo purgantur

Nitrum,

Sal ammoniacum,

Sal marinum,

Vitriolum album, cujus tamen producenda eſt evaporatio ad ſiccitatem.

BOLUS

BOLUS ARMENIA.

Bolum in pulverem tritam mortario marmoreo inde: aquam affunde, & pistillo agita, ut turbida evadat: hanc in fictile defunde: recentem aquam superstiti Bolo adde, & subige: iterum defunde: eamdemque operam toties repete, donec fæx sola cum arenulis remaneat: tum ab aquis effusis, quæ subsidit, in Pastillos Bolum redige, in umbra siccandos.

Similiter præpara

Cinnabarim nativam,
Cretam,
Lithargyrum,
Terram Lemniam.

Nota. Cinnabaris in vas vitreum indita, igne arenæ per gradus adhibito, una, atque altera sublimatione purgari quoque potest.

CATECHU

Pulveratum, aqua identidem adjecta, in mortario subigatur, quæ, cum bene saturata fuerit, in fictile per inclinationem effundatur. Remanenti materiæ addita recente aqua, attritio, & effusio tandiu iteretur, donec solæ fæces, & arenulæ in fundo pilæ relinquantur. Tum aquæ illæ omnes, postquam residerint, in vas terreum defundantur, & M. B. in Extra-

cti consistentiam evaporent: cui deinde materia in fictile relicta adjiciatur: factaque humoris aquosi exhalatione fingantur Morselli in umbra siccandi.

Sic purgatur Labdanum.

HYDARGYRUS,

Cujus purificandi modus duplex est;

I. Per corium forti espressione semel, iterumque trajiciatur;

II. Hydrargyrum cum æquali pondere Scobis Ferri in retortam terream loricatam immitte, appositoque excipulo amplo aqua semipleno distillationem institue, ignem ad eum gradum sensim augendo, ut retortæ fundus candeat: in quo gradu insiste, donec Mercurius in excipulum stillare desierit: tum refrigeratis vasis aquam effunde: Mercurium lineis pannis exsicca.

TARTARUM.

℞ Tartari albi . . . . libram unam.
Aquæ communis . . . . libras viginti.

Aquæ ferventi in olla terrea vitreata pulveratum Tartarum per partes injice, postea cum Ovi Albumine agitato decoque, donec fæces concreverint: Liquorem adhuc fervidum per pannum cola, & vasi ligneo inditum in cella subterranea repone, ut fiant Crystalli,

ſtalli, quæ exemptæ calido loco ſiccentur.

§. II.

EXSICCANDA.

MILLEPEDÆ

VIventes, & probe ſordibus, ſine ablutione, deterſæ figulino vaſi indantur, quod raro linteo circumligato operiatur: idemque vas inverſum alteri aptetur vaſi Vinum continenti, cui ignis ſupponatur. Vini vapore ſuffocatæ Millepedæ tepido loco primum ſiccandæ ſunt, deinde in vitreo vaſe clauſæ ſervandæ.

Sic præparari poſſunt

Apes,
Cantharides,
Lumbrici terreſtres.

VIPERÆ

Reſciſſo capite, detractiſque exuviis, & inteſtinis filo ſuſpendantur, ita ut altera alteram non attingat: tum bene ſiccatæ interpoſitis Rutæ, vel Abſinthii Foliis in lignea capſula recondantur.

HERBÆ

Colligendæ paullo antequam floreſcant: tum ea-

rum Folia, & Cymæ ſiccentur: poſtea in ſacculis chartaceis, vel potius ligneis capſulis loco ſicco ſerventur.

FLORES

Collecti dum explicantur, & a calycibus, cum opus ſit, mundati ſiccentur. Qui odoriferi ſunt in vitreis vaſis bene clauſis, ac cæteri in ligneis includantur.

RADICES

Extrahendæ ſub veris, aut hiemis initium, detractiſque fibrillis, & lignoſo meditullio ſiccandæ.

N. Plantæ, vel earum partes, quæ admodum craſſæ, humidæ, aut ſucco viſcoſo præditæ ſint, in ſole, vel calido loco, cæteræ in umbra ſiccentur.

SCILLA

Ab aridis tunicis, & a radiculis ligneo cultro mundetur: atque ejus lamellæ lineo filo transfixæ, parviſque intervallis ſingulæ a ſingulis ſejunctæ appendantur in aere aperto, & modice ſiccentur.

SPONGIA

Filo arctiſſime circumligata ſub calidis cineribus tamdiu detineatur, dum bene compacta ſit, denſa, & prorſus ſiccata.

VI-

VITRIOLUM

Supra chartam positum in sole, vel hypocausto siccetur ad albidinem.

§. III.

PULVERANDA.

CORNU CERVI.

SCobis Cornu cervini in mortario conteratur: postea cribro serico denso trajectus Pulvis in vasculo reponatur.

Similiter pulverantur
Cranium humanum,
Dentes Apri,
Ebur,
Mater Perlarum,
Ungula Alcis.

N. Pulverandi Cornu cervini alia quædam usitata ratio est. Frustatim nempe dissectum mollitur, & friabile fit aquæ ferventis vapore. Solet autem in distillatione aromaticarum Herbarum ad summam campanæ partem appendi. Ita scilicet Cornu Cervi philosophice præparatum, appellatur, quod in album subtilemque Pulverem percommode redigitur.

COLOCYNTHIS

Forfice minutatim concisa, & contusa imbuatur muci-

mucilagine Tragacanthi, tum ſiccetur: hinc teratur: quod toties repetendum, donec pulverari facile queat.

Eadem ratio eſt pulverandi

Nardum Indicam,
Polium montanum,
Radicem Althææ,
Schœnanthum,
Viperas &c.

CROCUS MARTIS Rore majali.

In patina terrea poſitam Ferri Scobem irriga Rore majali, & in maſſam redige: hanc in umbra repone, ut ſiccetur, & rubiginem contrahat: tum in pulverem tere, & rore iterum affuſo ſicca: denuo tere, eamdemque operam toties repete, donec omnino Ferrum in rubiginem converſum ſit.

PLUMBUM.

℞ Plumbi in fruſtula diviſi . . unciam unam;
Salis marini puri, ac triti . . uncias tres:

In mortario æneo commiſce, Aquæ communis tantillum adjiciendo, ut in formam pultis redigantur: tum leviter ducto per mortarium piſtillo tamdiu contere, donec Plumbum in pulverem penitus redactum ſit: aqua calida ablue, & ſupra chartam ſicca.



§. IV.

§. IV.

LÆVIGANDA.

CORALLIA

ABlutione prius mundata, ſiquidem opus ſit, pulverentur: dein ſuper porphyrite aſperſa identidem aqua in pollinem lævigentur; fiantque Morſelli ſupra chartam in umbra ſiccandi.

Ita lævigentur

Crocus Martis,
Hæmatites,
Hyacinthus,
Margaritæ,
Oculi Cancrorum,
Scobis Ferri,
Succinum,
Unicornu foſſile, & ſimilia.

LAPIS CALAMINARIS

Igneſcat in olla terrea; tum in aqua extinguatur: poſtea ſiccatus, & in pulverem tritus ſuper porphyrite, aquam inſtillando, lævigetur.

Ad eandem normam præparentur

Magnes,
Pumex,
Tuthia.

§. V.

§. V.

TORREFACIENDA.

RHABARBARUM

FRuſtatim inciſum ſupra laminam ferream, cui lenis ſuppoſitus ignis ſit, ſpatha verſando, lente aſſetur, donec humore abſumpto aliquantulum nigreſcere incipiat.

Similiter torreſiant

Myrobalani,

Opium.

SAL MARINUM

Pulveratum, & in figulino vaſe poſitum igni trade: ſpatha aſſidue verſa, dum crepitare deſinat: tale idcirco Sal decrepitatum appellatur.

§. VI.

URENDA.

CORNU CERVI

IN fruſta diſſectum, & patinæ terreæ inditum in fornace detineatur, donec albeſcat: tum in porphyrite, Aquam ſenſim inſtillando, diligentiſſime lævigetur.

Similiter

Similiter ex Ebore paratur Spodium.

SPONGIA

A lapillis, & ſabulo purgata in vaſe terreo bene obturato fere in carbonem aduratur: tum in hypocauſto ſervetur.

Simili modo comburantur

Cancri fluviatiles,
Erinacei,
Os Sepiæ,
Suber.

TARTARUM

Charta madida involutum, & prunis impoſitum ad albedinem uratur.

§. VII.

INSUCCANDA.

ALOE

PUlverata cum triplo Succi Roſarum pallidarum defæcati, vel Succi Violarum recens expreſſi fictili indatur, & incalido loco repoſita quandoque ſubigendo paulatim ſiccetur.

SCAMMONIUM

Pulveratum ponatur in figulino vaſe vitreato : tum addito Succi Cydoniorum expurgati duplo fiat evaporatio ad eam conſiſtentiam, ut fingi poſſint Trochiſci in umbra ſiccandi.

Exhibetur a granis decem ad viginti.

SCAMMONII PRÆPARATIO ALTERA.

℞ Scammonii Syriaci . . . . uncias ſex,
Decocti unciæ unius Radicis Liquiritiæ mundæ, & ſiccatæ. . . . libram unam:
Commiſceantur, & evaporent ut ſupra.

Doſis eadem.

CAPUT II.

DE SUCCIS.

§. I.

EX HERBIS.

SUCCUS ABSINTHII

Abſinthium vulgare recens in pila lapidea bene contundatur piſtillo ligneo : tum ſacculo ex cannabina tela incluſum torculari fortiter exprimatur. Expreſſus Succus per chartam bibulam, & arenam lotam, & ſiccam trajiciatur.

Simi-

Similiter extrahantur, & depurgentur Succi

Arthemisiæ,
Beccabungæ,
Ederæ terrestris,
Erysimi,
Galegæ,
Melissæ,
Menthæ,
Scordii, &c.

SUCCUS ACETOSÆ.

Acetosa in mortario marmoreo contusa ad horas duodecim in vase fictili maneat: dein prælo comprimatur. Si statim adhibendus sit Succus, per chartam trajiciatur; si vero conservandus, insoletur; tum percolatione purgetur, & in vase vitreo colli oblongi, angustique orificii, superfuso Olei modico, reponatur in cella vinaria.

Eadem norma extrahantur, & purificentur Succi

Acetosellæ,
Solani,
& similium.

SUCCUS BORRAGINIS.

Recens Borrago minutim concisa modice calefiat: tum forti compressione extrahatur Succus, qui postquam ad ignem paulisper efferbuerit, panno percoletur.

Eadem servetur norma in extrahendis, purgandisque Succis

Buglossi,
Consolidæ majoris,
Malvæ,
Mercurialis, &c.

SUCCUS CICHORII.

Ex Cichorio contuso forti expressione eliciatur Succus, qui vasi vitreo inditus calefiat M. B., & cum adunari fæces inceperint, per pannum trajiciatur.

Sic elici, & defæcari possunt Succi

Agrimoniæ,
Consolidæ minoris,
Endiviæ,
Taraxaci, &c.

SUCCUS COCHLEARIÆ.

Cochleariam sub lucis ortum collectam minutim incide, & paullulum contusam sacculo include: prælo exprime Succum, per chartam illico trajiciendum:

Pari modo eliciantur, & purgentur Succi

Cherefolii,
Erucæ,
Nasturtii aquatici,
Rutæ, &c.

§. II.

§. II.

EX FLORIBUS.

SUCCUS FLORUM PERSICORUM.

℞ Florum Mali Perſicæ . . . . libras viginti,
Aquæ communis . . . . . libras quatuor:

In amplo vaſe incaleſcant Flores lignea ſpatha verſando, & aquam identidem inſpergendo: tum prælo depromatur Succus, loco tepido ad fermentationem reponendus. Cum fæces ſubſiderint per pannum coletur, & in lagena vitrea oblongi colli, anguſtique oris, admiſto pauculo Vini Spiritu, atque ad duos tranverſos digitos ſuperfuſo Oleo recondatur.

Similiter eliciendus, ac ſervandus
Succus Roſarum pallidarum,
Violarum.

SUCCUS ROSARUM RUBRARUM.

Roſas rubras calycibus, & unguiculis detractis in ſacculo include: aqua fervente ſubmerge: poſtea ſaccum ſuſpenſum tamdiu detine, dum aqua ſubviridis effluere deſierit, & rubra extillare incipiat. Tum prælo ſubjice ſacculum; atque expreſſum Succum, ſiquidem ſervare velis, ad ſolem fermenteſcere ſinito: deinde percola, affuſoque Oleo in vaſe vitreo ſerva.

SUC-

SUCCUS FLORUM TUNICÆ.

℞ Florum Tunicæ demptis calycibus, & unguibus . . . . libras duas;
Aquæ communis . . . . libram unam:
Indantur Flores vasi circulatorio, & superfusa aqua fervente vas confestim obtegatur: facta ad horas sex maceratione prælo exprimatur Succus panno percolandus.

SUCCUS FLORUM VIOLARUM.

Flores Violarum ablatis calycibus in fictile vitreato paullulum calefiant M.B., postea torculari exprimatur Succus.

Sic paretur Succus Florum Borraginis, & Buglossi.

§. III.

EX FRUCTIBUS.

SUCCUS BACCARUM EBULI.

BAccæ probe mundatæ, ac tela involutæ prælo comprimantur primum leniter, & sæpe, tum valide. Elicitus Succus, & in vase vitreo positus M. B. calefiat, & panno percoletur.

Similiter elice, ac defeca Succos ex Baccis Rhamni Cathartici, Sambuci.

SUC-

SUCCUS DE BERBERIS.

In mortario lapideo hi Fructus contusi maneant ad horas aliquot; dein prælo committantur. Expressus Succus, ac tepido loco, vel insolatione fermentatus, e chartaceo colo percoletur, Oleoque superfuso servetur in vase vitreo.

Ad eandem normam educantur, &
asserventur Succi
ex Acinis Granatorum,
Moris, }
Prunellis silvestribus } immaturis,
Uvis, }
Ribese,
Rubo Idæo.

SUCCUS CITRI.

Ex acida Medulla Citri demptis seminibus exprimatur Succus, qui statim panno percoletur; vel prius ad solem fermentatus a fæcibus expurgetur.

Sic eliciatur, & depurgetur Succus
Aurantiorum,
Limonum.

SUCCUS CYDONIORUM.

Cydonia Mala derasa, seminibus detractis, fictili vitreato inde, & ad horas viginti in cella repone: tum

tum Succum prælo exprime: insola: hinc percolatum superfuso Oleo conserva.

Similiter parandus Succus
Pomorum, &
Cucumeris agrestis contusi.

§. IV.

EX RADICIBUS.

SUCCUS RADICUM FŒNICULI.

MUndatæ, & contusæ Radices valide comprimantur. Succus prolectus chartaceo colo depurgetur.

Ita educantur, & defæcentur Succi
ex Radicibus Helenii,
Petroselini,
Peucedani,
Raphani radice tantum derasa.

SUCCUS RADICIS GRAMINIS.

Ablutæ Radices bene contundantur: tum prælo valide exprimatur Succus, qui M. B. paullum calefactus lineo panno percoletur.

Similis ratio est parandi, purgandique Succos
ex Radicibus Cichorii,
Ebuli, &c.

SUC-

SUCCUS RADICIS IRIDIS.

Iridis Radices mundatæ, & rite contusæ prælo committantur. Elicitus Succus, vasique vitreato inditus in loco frigido maneat, donec fæx albida subsiderit: tum Succum defunde, quo percolato utere; Fæculam vero in umbra siccatam serva.

Similiter parari possunt Succi, &
Fæculæ ex Radicibus Ari,
Bryoniæ.

SUCCUS SCILLÆ.

Scillæ recentes farina subacta singulæ obducantur, & in furno, vel sub calidis cineribus coquantur, quæ satis assæ fuerint, cum indita festuca facile in eas penetraverit. Hinc dempta omni crusta in pila lapidea molliter tundendæ sunt: postea in vitreo vase inclusæ tepido loco reponendæ, donec fermentescere incipiant: tum prælo exprimendus Succus, & percolandus.

CAPUT III.

DE INFUSIS.

§. I.

EX AQUA.

INFUSUM CARMIMANS OFFICINARUM.

℞ Seminum Carvi,

Fœniculi . . . . ana unciam unam;
Florum Chamæmeli,
Meliloti . . . ana manipulum unum;
Aquæ communis . . . libras quatuor:

Vasi oris angusti inditis affundatur Aqua fervens: tum vase operto fiat maceratio: refrigeratus Liquor percoletur, & ad usum servetur.

INFUSUM GLYCYRRHIZÆ.

℞ Radicis Glycyrrhizæ recentis incisæ cortice deraso . . . uncias duas,
Aquæ calentis . . . . . libras tres:

Horæ spatio macera, tum cola.

INFUSUM SENNÆ.

℞ Foliorum Sennæ mundæ . . uncias duas,
Crystalli Tartari . . Semunciam,
Aquæ communis . . . libras duas:

In fictile vitreato ponantur Sennæ Folia, & affusa Aqua fervente, in qua solutæ fuerint Crystalli Tartari, maceratio fiat ad horas sex. Tinctura levi expressione percoletur.

N. Commode ad hunc locum referri videntur Mucilagines, quæ parantur ex infusis in Aqua Vegetabilibus ijs, quorum glutinosa substantia sit. E. G. si Radicis Althææ, aut Consolidæ majoris Mucilaginem conficere vis, paullulum contusæ, & incisæ Radici pondere libræ unius affunde Aquæ ferventis libras

bras quatuor: ac ſubinde agitando macerari ſine, donec Aqua craſſeſcat: tum leniter exprimendo percola.

Ad extrahendam Mucilaginem Seminum Cydoniorum hæc integra q. s. digerantur in Aquæ decuplo, deinde Liquor raro panno percoletur. Qui ſpiſſiorem volunt Mucilaginem, vel Seminum quantitatem augeant, vel Aquæ imminuant.

Eodem modo parabis Mucilagines
Seminum Fœni Græci,
Lini,
Pſyllii,
Sumach.

§. II.

EX VINO.

VINUM ABSINTHITES.

℞ Summitatum floridarum Abſinthii vulgaris, quas prius in umbra ſiccaveris, . . unciam unam,
Radicis Acori inciſæ . . . ſemunciam,
Vini albi . . . . libram unam, & ſemis:

In vitreo vaſe probe clauſo ad horas duodecim digere, exprime, & cola.

VINUM EMETICUM.

℞ Croci Metallorum triti . . uncias quatuor,

Vini albi optimi . . . . libras quatuor:
Infunde in vitreo vaſe clauſo, atque ad dies aliquot identidem agita: tum ſerva; & cum eo uti velis, per chartam trajice. Doſis ab unciis duabus ad tres.

VINUM ENULATUM.

℞ Radicis Helenii inciſæ, & ſiccatæ uncias duas,
Vini albi generoſi . . . libras quatuor:
In matracio rite occluſo per diem, noctemque digere: refrigeratum Liquorem exprime, & percola.

§. III.

EX ACETO.

ACETUM SATURNI.

℞ Ceruſſæ pulveratæ, vel Lithargyri
præparati . . . . . . libram ſemis;
Aceti acerrimi . . . libras quatuor:
In vaſe vitreo ad dies octo digere: tum Acetum per chartam cola.

ACETUM ROSACEUM.

℞ Roſarum rubrarum, quæ in umbra
ſiccatæ ſint . . . uncias tres;
Aceti . . . . libras duas:
Digerantur in vaſe vitreo operculato ſex dierum ſpatio:
poſtea

postea exprimatur, & percoletur Acetum.

Non absimili modo paratur Acetum
Ex Foliis Rutæ,
Floribus Sambuci.

ACETUM SCILLITICUM.

℞ Scillæ exsiccatæ, & concisæ . . libram unam,
Aceti acerrimi Vini albi . . libras octo:
Dies quindecim in lagena vitrea probe clausa digere: leniter exprime, & cola.

CAPUT IV.

DE DECOCTIS.

§. I.

SIMPLICIA.

DECOCTUM CORNU CERVI.

℞ Scobis Cornu Cervi . . uncias tres,
Aquæ communis . . libras quatuor:
Ad sextæ partis exhalationem fervefacito; postea Decoctum cola.

N. Si Gelatinam Cornu cervini parare vis, Decoctum eatenus ebullire sinito, ut Aqua vaporet fere ad tertias: tum expressione Decoctum cola, & admisce

Ovi

Ovi Albumen agitatum,
Sacchari albi . . . unciam unam, & ſemis;
Succi Limonum, vel Cryſtalli Tartari paullulum:
Poſt brevem ebullitionem panno Liquorem trajice, & in frigido loco repone, ut concreſcat.

Similiter parabis Decoctum Eboris; tum ejus Gelatinam evaporatione ad medias fere producta.

DECOCTUM HORDEI.

℞ Hordei mundi . . . uncias duas;
Aquæ communis . . . libras tres:
Ad tertiæ partis evaporationem decoque; poſtea cola.

§. II.

COMPOSITA.

DECOCTUM LIGNORUM STIBIATUM.

℞ Scobis Ligni Guajaci . . . uncias duas;
Corticis ejuſdem contuſi,
Radicis Sarſæ parillæ minutim inciſæ ana unciam unam, & ſemis;
Saſſafras in particulas ſecti . . . unciam unam,
Antimonii confracti,
Pumicis . . . ana uncias tres,
Aquæ communis . . . libras duodecim:

Gua-

Guajaci Lignum, Corticem, & Sarſam parillam mitte in vas figulinum vitreatum: Aquam affunde, & Antimonium cum Pumice in panno lineo incluſum ita ſuſpende, ut vaſis fundum non attingat. Per noctem infuſio fiat: mane ad medias igne lento coque: exprime: cola. Tum Saſſafras indito in cucurbitam vitreatam: percolatum fervens Decoctum affunde, & ſtatim operculum impone: macerari ſinito, donec refrigeſcat: tandem cola.

DECOCTUM CATHOLICUM SIC DICTUM.

℞ Radicis Graminis . . unciam unam, & ſemis,
Sarſæ parillæ . . unciam unam,
Foliorum Cichorii,
Agimoniæ,
Betonicæ,
Capilli Veneris,
Pimpinellæ . . ana manipulum ſemis,
Foliorum Sennæ Orientalis,
Epithymi . . . . . ana ſemunciam,
Radicis Liquiritiæ . . . drachmas duas,
Seminum Aniſi . . . drachmam unam,
Aquæ communis . . . libras quatuor:

Sarſa parilla, & Gramen ad medias in Aqua bulliant: his adde Glycyrrhizam: tum Herbas inciſas. Poſt levem ebullitionem Decoctum cola. Foliis autem Sennæ, Epithymo, & Seminibus Aniſi affunde Aquæ ferventis uncias ſex, & ſine ad aliquot horas macerari: poſtea colatum Liquorem cum Decocto commiſce.

DE-

DECOCTUM EMOLLIENS OFFICINARUM.

℞ Radicis Althææ . . unciam unam,
Foliorum Malvæ,
Violarum . . ana manipulum unum,
Aquæ communis . . libras quatuor:

Herbas cum Radice incisas, ut artis est, decoque: deinde cola.

N. Si carminans idem efficere velis, ad singulas Decocti calentis libras adjice Seminum Carvi semunciam, & Florum Chamæmeli manipulum dimidium: tum operto vase sine ut refrigescat.

DECOCTUM PECTORALE OFFICINARUM.

℞ Caricarum pinguium incisarum,
Jujubarum,
Passularum mundatarum,
Liquiritiæ . . . . ana semunciam,
Aquæ communis . . . . libras sex:

In aheno, quod stanno obductum sit, coquantur Fructus, usque dum Aquæ tertia pars absumpta sit; tum vas ab igne remove: Liquiritiam mundatam, & incisam adde: aliquantum macerari sinito; postea Decoctum cola.



CAPUT V.

DE CONSERVIS.

§. I.

EX FLORIBUS.

CONSERVA FLORUM AURANTIORUM.

℞ Florum Aurantiorum . . . libram unam,
Sacchari albi . . . . . . libras tres:

Flores, demptis calycibus, minutim concisi Saccharo clarificato, & ad tabellarum consistentiam cocto, dein tepefacto, spathula lignea bene miscendo redigantur in Conservam, quæ, spuma exempta, in vascula effundatur tepido loco reponenda, donec crusta in superficie appareat.

Sic parentur Conservæ
Florum Calendulæ,
Chamæmeli,
Lilii Convallium,
Rosmarini,
Salviæ,
Tiliæ,
Tunicæ.

CONSERVA EX FLORIBUS VIOLARUM.

℞ Florum Violarum ablatis calycibus libram unam,

Sacchari clarificati, & in Electuarium solidum cocti . . . . libras tres;
Sacchari pulverati . . . . . unciam unam:

In mortario lapideo Flores cum Saccharo pulverato in formam pultis contundantur: deinde cum Saccharo clarificato spatha lignea misceantur. Cum paullulum bullierint, Conservam ab igne remove.

Eadem methodo conficiantur Conservæ
ex Floribus Betonicæ,
Cichorii:

Item ex Floribus concisis primum, dein contusis
Borraginis,
Buglossi,
Malvæ,
Nymphææ,
Pæoniæ, &c.

CONSERVA FLORUM PERSICORUM.

℞ Florum Mali Persicæ, rejectis calycibus . . . . . libram unam;
Sacchari clarificati, & ad penidii consistentiam cocti . libras duas:

In pila marmorea optime pinsentur Flores, & cum Saccharo adhuc fervente pistillo ligneo immiscendo cogantur in Conservam.

Sic parentur Conservæ
Rosarum Damascenarum,
Pallidarum.

CON-

CONSERVA ROSARUM RUBRARUM.

℞ Roſarum rubrarum, quæ nondum expanſæ ſint,
reſciſſis unguibus . . . . bram unam,
Sacchari clarificati, & in Syrupum
craſſiorem cocti . . . libras tres:

Roſæ linteo incluſæ mergantur in aqua fervente, & paulisper immerſæ maneant: mox in aere ſuſpendantur, donec Aqua ſtillans rubere incipiat: tum prælo ſuppoſitis Floribus eliciatur Succus, qui aſſervetur. Iidem expreſſi Flores in mortario lapideo contundantur: poſtea Syrupo permiſti decoquantur, ſpatha lignea indeſinenter revolvendo, & Succum expreſſum paulatim addendo ad juſtam Conſervæ conſiſtentiam.

CONSERVA EX DUPLICATIS ROSIS RUBRIS.

℞ Roſarum rubrarum mundatarum . . libras duas;
Sacchari albi clarificati, & in Syrupum
cocti . . . libras tres:

Ex Roſis, ut ſupra dictum eſt, elice Succum: tum magmatis dimidium in pila marmorea rite contuſi in ferventem Syrupum injice: brevi bulliant: deinde Succum per partes adjice, &, quantum ſatis, iterum decoque.



§. II.

EX FOLIIS HERBARUM.

CONSERVA ABSINTHII.

℞ Foliorum Abſinthii adhuc teneri . . libram unam,
Sacchari albi . . . libras duas :

Folia a caulibus diligenter ſeparata in mortario lapideo tundantur : cum Saccharo in modum penidii cocto, atque etiamnum tepido probe miſceantur.


Sic fieri poteſt Conſerva
Arthemiſiæ,
Tanaceti, &c.

CONSERVA ACETOSELLÆ.

℞ Foliorum Acetoſellæ recentis . . libram unam;
Sacchari clarificati, & cocti . . . libras duas :

Minutim conciſa Acetoſella Saccharo tepefacto accurate immiſceatur.

In Conſervam *ſimiliter redigi poſſunt*
Cherefolium,
Cochlearia,
Eruca,
Naſturtium aquaticum.



§. III.

§. III.

EX FRUCTIBUS.

CONSERVA CITRI.

℞ Pulpæ Citri cum Cortice . . libras duas,
Sacchari albi . . . libras tres:

Derasos Citri Cortices inde cucurbitæ capitello instructæ, & M.B. Aquam elice ad uncias circiter duas, quam serva: tum Cortices e cucurbita exemptos una cum Pulpa incisa in sufficienti Aquæ quantitate decoque: per setaceum Pulpam trajice: cum Saccharo in ejusdem decoctione clarificato, & in solidum Electuarium redacto commisce: deinde ad ignem lenem assidue agitando eatenus evaporare sinito, ut adjectione Aquæ illius, quæ asservata fuit, Conservam habeas justæ consistentiæ.

Similiter confici possunt
Conservæ Aurantiorum,
Limonum.

CONSERVA CYDONIORUM.

℞ Pulpæ Cydoniorum . . libras duas,
Sacchari albi . . . libras tres.

Cydoniorum Pulpa demptis seminibus in Aqua decoquatur: per setaceum trajecta, Saccharo in ejusdem decoctione clarificato, & ad tabellarum consistentiam cocto addatur, lenique igne, & continua agi-

tatione, quantum ſatis, evaporet.

Ad eandem normam paretur

Conſerva Cornorum,

Cynorrhodon.

N. Ex integris Fructibus Conſervas, ſive Condita conficiendi alia eſt ratio: E. G.

℞ Ceraſorum acidorum,

Sacchari albi . . . . ana partes æquales:

Saccharum Aqua diſſolutum Ovi Albumine clarifica, cola, & coque fere in modum Electuarii ſolidi: tum eo tepefacto Ceraſa ad aliquot horas immerge: poſtea in Syrupi conſiſtentiam decoque, demptaque ſpuma in vaſcula vitrea effunde.

Simili modo condiri poſſunt

Fructus alii molles, & ſuccoſi.

§ IV.

EX RADICIBUS.

CONSERVA CONSOLIDÆ MAJORIS.

SYmphyti majoris Radix in Aqua percoquatur ad liquamen: deinde cribro e ſetis contexto tranſmiſſa cum duplo Sacchari clarificati ad ignem lenem aſſidue movendo in Conſervam redigatur.

CONSERVA HELENII.

Tenellæ Radices Helenii minutim conciſæ in mortario lapi-

lapideo ad pultis formam pinſentur : tum per cribrum extrahatur Pulpa, quæ cum duplo Sacchari tabellati tundatur, & probe commiſceatur.

CONSERVA HELENII ALTERA, SEU CONDITUM.

℞ Radicis Helenii recentis mundatæ libram unam,
Aquæ communis . . libras octo:

Radicem fruſtatim ſectam ad octo dies macerari permitte : mox ad mollitiem coque : tum Decoctum defunde, in quo clarifica Sacchari albi . . libram unam, & ſemis:

In Saccharo clarificato eadem Radicis fruſta ad triduum prius infuſa iterum coquantur, dum craſſior evadat Syrupus, in quo Condita ſervari poſſunt, vel e Syrupo exempta in hypocauſto ſiccentur.

Similiter condiendæ Radices
Angelicæ odoratæ,
Eryngii,
Satyrii, &c.



CA-

CAPUT VI.

DE SYRUPIS.

§. I.

SYRUPI SIMPLICES EX MELLE.

MEL ANTHOSATUM.

℞ Mellis albi . . . libras quatuor;
Florum Rosmarini . . libras duas:
In stanneo vase circulatorio tepente ad triduum digere: antequam frigescant, exprime; & cola.

MEL ROSACEUM, SIVE RHODOMEL.

℞ Succi Rosarum rubrarum . . libram unam;
Mellis albi colati . . libras duas:
Coquantur ad Syrupi consistentiam.

MEL ROSATUM SOLUTIVUM.

℞ Succi Rosarum pallidarum defæcati,
Mellis communis . . . ana partes æquales;
Bulliant ad despumationem: colentur, & in Syrupum coquantur.

Sic paretur.

Mel Mercuriale.

MEL

MEL VIOLATUM SOLUTIVUM.

℞ Succi Florum Violarum cum calycibus recens expressi,
Mellis communis . . . . ana quantum vis:
Coque, ac despuma, deinde cola, & ad justam consistentiam redige.

OXYMEL SIMPLEX.

℞ Mellis colati . . . . libras tres,
Aceti Vini albi . . . libram unam, & semis:
In fictile vitreato redigantur lento igne in Syrupum.

OXYMEL SCILLITICUM.

℞ Mellis colati . . . . libras duas,
Aceti Scillitici . . . . . . libram unam:
Coquantur in Syrupum.

§. II.

SYRUPI SIMPLICES EX SACCHARO.

SYRUPUS DE ABSINTHIO.

℞ Succi Absinthii vulgaris
expurgati . . . libram unam, & semis,
Summitatum ejusdem floridarum . . uncias sex:

In vaſe circulatorio ſtanneo digere per noctem M.B., quo refrigerato exprime, & per chartam cola: poſt adjice

Sacchari albi ſicci, & pulverati . . . duplum:

Digere iterum in eodem vaſe, & balneo ad Sacchari diſſolutionem. Syrupum refrigeſcere ſinito, tum cola, & in vitro obturato ſerva.

Similiter parari poſſunt

Syrupi de Arthemiſia,
Hedera terreſtri,
Hyſſopo,
Mentha.

SYRUPUS DE ALTHÆA.

℞ Radicis Althææ recentis mundatæ, & conciſæ . . . . . . uncias ſex,
Aquæ ferventis . . . . libras ſex:
Paullum bulliant: ſtatim cola, & adde
Sacchari albi . . . . . . libras quatuor:

Ovi Albumine agitato clarifica: in Syrupum decoque, & ſub finem coctionis injice

Radicis Althææ mundæ, & parum contuſæ . . . . uncias duas:

Poſt brevem ebullitionem ab igne remove, & per linteum cola.

SYRUPUS CAPILLI VENERIS.

℞ Foliorum Capilli Veneris . . libram unam, & ſemis,
Aquæ communis . . . . libras ſex,

Sac-

Sacchari albi . . . . . . libras tres :
Capilli Veneris Foliis Aquam ferventem affunde : ad horas ſex macerari ſine : exprime : cola : cum Saccharo clarifica, & in Syrupum decoque.

SYRUPUS DE CHINA.

℞ Radicis Chinæ minutim inciſæ ... unciam unam,
Aquæ communis . . . . . . libras duas :
Infunde per horas duodecim in fictile vitreato : deinde lento igne fervefacito ad medias : tum exprime Liquorem, cui adde
Sacchari albi tabellati . . . . uncias ſex :
Percoque in Syrupum.

SYRUPUS DE CHINACHINA.

℞ Extracti ſicci Chinachinæ pulverati ... drachmam unam, & ſemis,
Sacchari albi tabellati . . . . uncias tres,
Aquæ Florum Aurantiorum ... drachmas decem :
Extractum Aqua dilutum inde ampullæ vitreæ, additoque Saccharo M. B. in Syrupum redige.

SYRUPUS DE CORTICIBUS CITRI.

℞ Corticis exterioris Citri deraſi .... libram unam,
Aquæ diſtillatæ Citri . . . . uncias octo :
In vaſe circulatorio ſtanneo ad horas duodecim B. M.

tepente digere: postea refrigerari sine: prælo exprime Liquorem, & percola.

℞ Hujus percolati Liquoris . . . uncias quindecim,
Sacchari tabellati in pulverem
redacti . . . . . . libras tres,
Olei essentialis Citri. . . . guttas quindecim:

In eodem vase circulatorio fiat Syrupus, cui adhuc tepenti Oleum essentiale pauculo Saccharo pulverato exceptum adde: commisce, & in vitro bene clauso refrigeratum Syrupum repone.

SYRUPUS DE SUCCO CITRI.

℞ Medullæ acidæ Citri demptis Seminibus . . . . . libram unam,
Sacchari albi clarificati, & in Tabellarum modum cocti . . libras duas:

Citri Medulla panno lineo laxo inclusa manibus comprimatur ad Succum omnem eliciendum: magma ferventi Saccharo injectum brevi bulliat: postea Succum per partes adjiciendo coque in Syrupum.

ALIUS DE SUCCO CITRI CUM CORTICIBUS.

℞ Succi acidi Citri recenter expressi libras tres,
Corticis exterioris Citri derasi . . uncias sex,
Sacchari sicci clarificati, & in solidum Electuarium cocti . . . libras septem:

Citri Cortices una cum Succo ad horas duodecim in vase circu-

circulatorio vitreo tepide digerantur M. B. Refrigeratis vaſis Succus prælo exprimatur, & per chartam coletur, in quo Saccharum pulveratum liquefiat.

Eodem modo confici poſſunt

Syrupi de Succo Aurantiorum.

Limonum.

SYRUPUS FLORUM PERSICORUM.

℞ Florum Mali Perſicæ a calycibus mundatorum . . libras ſex,

Sacchari albi in Aquæ duplo ſoluti libras quatuor:

In fictile vitreato horarum ſex ſpatio digerantur: tum ferveſiant, indeque prælo exprimatur Liquor Ovi Albumine clarificandus, & in Syrupum percoquendus.

Simili modo paretur Syrupus

Roſarum Damaſcenarum,

Pallidarum.

SYRUPUS DE SUCCO FLORUM PERSICORUM.

℞ Succi defæcati Florum Mali Perſicæ . . libras ſex,

Sacchari albi . . libras quatuor cum dimidia:

Clarifica, & in aheno ſtanno obducto coque ad idoneam Syrupi conſiſtentiam.

Similiter fiant Syrupi

De Succo Rhamni Cathartici,

Roſarum pallidarum.

SYRUPUS DE NYMPHÆA.

℞ Florum Nymphææ ab exterioribus foliis viridibus, & stilo, seu media parte flava mundatorum . . . libras duas,
Aquæ communis . . libras octo,
Sacchari albi . . . libras quatuor:

Floribus Aquam ferventem affunde: ad horas sex macerari permitte: tum forti expressione Liquorem cola: cum Saccharo clarifica, & in Syrupum percoquendo redige.

SYRUPUS DE PAPAVERE ALBO, SEU DE MECONIO.

℞ Capitum Papaveris albi recentium . . . libras duas;
Aquæ communis . . . . libras octo:

Maceratio fiat horæ unius spatio: deinde brevis ebullitio: tum valida expressio Liquoris, cui adjiciantur
Sacchari albi . . . libræ quatuor:
Clarificentur, & ex arte fiat Syrupus.

SYRUPUS DE PAPAVERE ERRATICO.

℞ Aquæ Papaveris erratici M. B. distillatæ,
Florum ejusdem recentium a calycibus mundatorum . . . ana libras duas:

In vase circulatorio ad horas sex digere M. B. tepente, quo refrigerato Liquorem exprime: per pannum trajice, additoque Sacchari albi sicci . . . duplo repone in eodem circulatorio vase, ubi Saccharum omni-

omnino liquefcat. Syrupum refrigeratum linteo percola.

SYRUPUS DE ROSIS SICCIS.

℞ Rofarum rubrarum detractis unguibus, in umbra ficcatarum . . . uncias duas,
Aquæ ferventis . . . libras tres:
Digere in vafe cooperto per diem, & noctem: tum fervefacito: dein cola, & adde
Sacchari albi . . . . libras duas:
Clarifica, & coque in Syrupum.

SYRUPUS DE TEREBINTHINA.

℞ Terebinthinæ . . . . drachmas tres,
Spiritus Terebinthinæ . . drachmam unam,
Sacchari albi ficci pulverati uncias fex,
Aquæ communis . . . uncias tres:
In mortariolo marmoreo Terebinthina, & Spiritus, Saccharum pulveratum fenfim addendo, accurate commifceantur: tum Aqua adjecta defundantur in ampullam vitream, & M. B. fiat Syrupus.

SYRUPUS GRANATORUM.

℞ Succi Granatorum purificati . . . libram unam,
Sacchari albi ficci . . . . libras duas:
Ponantur in fictile vitreato, & leni igne Saccharum in Succo liquefcat.

Simili modo confici poffunt Syrupi.

Ex

Ex Succo Acetosæ,
Acetosellæ,
Agrestæ,
De Berberis,
Cydoniorum,
Ribium,
Rubi Idæi, &c.

N. Ex Fructuum quorumdam Succis non defæcatis, uti Cydoniorum, Ribium, Rubi Idæi, cum æquali pondere Sacchari clarificati parantur quoque Syrupi, qui coctione ad spissitudinem idoneam redacti Gelatinæ, aut Mivæ appellari solent.

SYRUPUS VIOLACEUS.

℞ Succi Florum Violarum a calycibus mundatarum . . . . . libram unam,
Sacchari albi sicci . . . . . libras duas:

In fictile vitreato M. B. fiat Syrupus, qui linteo percolandus, & spuma detracta, in vitreo vase asservandus.

Ita paretur Syrupus
Florum Borraginis,
Tunicæ.

SYRUPUS VIPERINUS.

℞ Viperas . . . . numero tres,
Sacchari albi . . . . . . uncias octo,
Aquæ communis . . . . . uncias quatuor:

Vipe-

Viperas abſciſſo capite, detractiſque exuviis, & inteſtinis minutim incide: vaſi circulatorio ſtanneo inde, & affuſa Aqua coque M. B. fervente ad carnium liquamen. Sine balneum refrigerari: poſtea forti expreſſione Juſculum cola, & ſerva. Interim Magma cum ſufficienti Aquæ quantitate fac, ut lente bulliat horæ unius ſpatio; deinde exprime Liquorem, cui adde Saccharum: clarifica, & eatenus coque, ut admiſto Juſculo, quod ad hunc finem ſervatum eſt, congruentem ſpiſſitudinem Syrupus acquirat.

§. III.

SYRUPI COMPOSITI EX MELLE.

MEL ROSATUM SOLUTIVUM CUM AGARICO.

℞ Succi Roſarum pallidarum fermentatione purificati . . . libras quatuor;
Agarici conciſi . . . . . . uncias tres,
Mechoacannæ paullum contuſæ . . unciam unam,
Zingiberi . . . . . . drachmas duas,
Mellis albi colati . . . . . . libras tres:

Agaricus cum Zingiberi in libris tribus Succi Roſarum, Mechoacanna ſeorſum in reliquo Succo ad horas duodecim digerantur: facta deinde expreſſione Tincturas per pannum cola: commiſce cum Melle, & in Syrupum decoque.

SYRUPUS DE ARUNDINE.

℞ Radicis Arundinis montanæ recentis minutim incisæ . . . . . . libram unam, & semis,
Florum Farfaræ . . . manipulos duos,
Corticis exterioris Citri recens derasi . . . . uncias sex,
Succi Pomorum dulcium defæcati . . libras duas,
Aquæ communis . . . . libras sex,
Mellis Hispanici . . . . libras tres,
Sacchari albi . . . . . libram unam:

Citri Corticibus in vas circulatorium inditis Succi Pomorum selibram affunde: per horas duodecim M. B. digere; refrigerato vase exprime Succum, percola, & serva. Arundinis Radices in Aqua, & Succi reliquo per noctem macerari sinito: mane coque ad dimidias: tum adde Farfaræ Flores. Post brevem ebullitionem exprime, & cola Decoctum, in quo Saccharum cum Melle clarifica, & in eum modum coque, ut admistione Succi asservati justam consistentiam Syrupus habeat.

SYRUPUS DE PEUCEDANO EX TEMPORE PARANDUS.

℞ Extracti Radicis Peucedani,
Liquiritiæ . . ana unciam unam,
Extracti Foliorum Veronicæ,
Tussilaginis ana drachmas tres,

Aquæ

Aquæ diſtillatæ Radicis Peu-
cedani . . . . quantum ſatis;
Mellis albi colati . . . uncias duas:

His in vaſculo vitreato igne leniſſimo commiſtis, & liquatis fit Syrupus.

§. IV.

COMPOSITI EX SACCHARO.

SYRUPUS APERIENS.

℞ Succi defæcati Agrimoniæ,
Cherefolii,
Pimpinellæ cum Radice,
Radicis Petroſelini,
Raphani hortenſis,
Peucedani,
Iridis . . . ana uncias octo,
Aceti ſcillitici . . . . . libras tres,
Radicis Accri,
Helenii,
Saſſafras . . . ana uncias tres,
Sacchari albi . . . . libras ſex:

Inciſis, & contuſis Radicibus, cucurbitæque vitreæ capitello cæco inſtructæ inditis ſuperfundantur Succi, & Acetum ſcilliticum. Fiat digeſtio in M. B. unius diei ſpatio: deinde appoſito cucurbitæ capitello, quod roſtro præditum ſit, eliciatur circiter libra una Li-

quoris, qui aſſervetur: tum reliquus exprimatur: cum Saccharo clarificetur, & percoquatur in fictile vitreato ad eam ſpiſſitudinem, ut, cum deferbuerit, admiſto eo Liquore, qui ſepoſitus fuerat, in Syrupum convenientis conſiſtentiæ ſine coctione redigatur. Ut autem utriuſque perfecta commiſtio fiat, inditus circulatorio vaſi Syrupus ad horas aliquot in M. B. tepente relinquatur.

SYRUPUS DE ALTHÆA.

℞ Radicis Althææ recentis mundatæ, & inciſæ . . . . uncias quatuor;
Radicis Pimpinellæ,
Fructuum Alkekengi . . . . ana uncias duas,
Summitatum Althææ,
Parietariæ . . . ana manipulos tres,
Aquæ communis . . . . . libras decem,
Sacchari albi . . . . libras quatuor:

Pimpinellæ Radix munda, inciſa, & contuſa, additis paullo poſt Alkekengi Baccis, ad Aquæ circiter quartæ partis conſumptionem coquatur: Althææ deinde Radix una cum Herbis inciſis parum bulliat: tum Liquorem cola, in quo Saccharum clarifica; & in Syrupum redige.

SYRUPUS DE CICHORIO CUM RHABARBARO.

℞ Succi Cichorii defæcati . . . libras duas,
Rhabarbari optimi inciſi . . . uncias duas:

In

In vaſe vitreato per noctem digere : exprime : percolatum Liquorem ſerva: tum reſidui ab expreſſione Rhabarbari iteretur digeſtio affuſa Aqua fervente ad libras duas. Poſt brevem ebullitionem exprimatur Aqua tincta, quæ Liquori aſſervato admiſta cum Sacchari albi . . . . libris duabus clarificetur; & coquendo fiat Syrupus.

SYRUPUS DE COCHLEARIA.

℞ Succi Cochleariæ,
Beccabungæ,
Acetoſellæ,
Aurantiorum Luſitaniæ ... ana uncias ſex,
Corticis eorundem deraſi . . . . . uncias tres,
Foliorum Cochleariæ inciſorum manipulos tres:
In vitreo circulatorio vaſe rite obturato per duodecim horas calore leni digerantur. Refrigerato vaſe exprimatur Liquor, & charta percoletur: tum additis
Sacchari ſicci pulverati . . . . libris quatuor,
In eodem vaſe circulatorio ſola Sacchari liquatione fiat Syrupus. Inſuper pauculum Saccharum imbue guttis quindecim Olei eſſentialis Citri, & Aquæ tantillo dilue: miſce cum Syrupo, quem refrigeratum recondе in vitreo vaſe anguſti orificii, ſubere, & veſica obturando.

SYRUPUS DE ERYSIMO.

℞ Succi Eryſimi expurgati . . . libras tres,
Foliorum recentium Hyſſopi, &

Tuſſi-

Tussilaginis ana manipulum unum;
Radicum Helenii,
Liquiritiæ ana unciam unam, & semis,
Sacchari albi . . . . libras tres:
Cum Succo Radices, & Folia concisa in stanneo vase circulatorio per diem macerentur: aptato deinde capitello distilletur Aqua ad uncias sex fervente balneo. Reliquum Liquorem exprime: cum Saccharo clarifica, atque ad eum modum percoque, ut, cum Aquam stillatitiam adjeceris, convenientem consistentiam Syrupus habeat.

SYRUPUS DE POMIS SOLUTIVUS.

℞ Succi Pomorum redolentium fermentatione purificati . . . libras quatuor,
Foliorum Sennæ mundatorum . . . uncias quatuor, & semis;
Sacchari albi . . . libras tres:
Sennæ Folia in Succo digere per noctem: mane facta expressione Liquoris Saccharum cum eo clarifica, & coquendo, quantum satis, Syrupum confice.

SYRUPUS DE SYMPHYTO.

℞ Succi depurgati Consolidæ minoris . . . . libras duas, & semis;
Radicis Consolidæ majoris minutim sectæ, & modice exsiccatæ . . . uncias tres:
Per horam maceratio fiat: tum brevis ebullitio; postea

postea percolato Succo adde
Sacchari albi . . . . libras duas:
Clarifica, & in Syrupum coque; postremo adjice
Syrupi Chermesini colati . . . . libram unam,
& bene commisce.

CAPUT VII.

DE PULVERIBUS:

PULVIS AD BOTIUM.

℞ Spongiæ Marinæ combustæ . . unciam unam;
Ossis Sepiæ usti,
Sacchari Canti . . . . ana semunciam;
Pyrethri . . . . drachmam unam:
Fiat Pulvis loco sicco servandus.

PULVIS AD GUTTETAM.

℞ Radicis Pæoniæ maris,
Cornu Cervi,
Succini præparati . . . ana unciam semis;
Castorei Russiensis . . . drachmam unam,
Cinnabaris nativæ puræ, &
lævigatæ . . . . . . drachmas duas:
Ex omnibus Pulvis fiat tenuissimus, quem in mortario lapideo bene commisce, & in vitreo vase asserva.

ÆTHIOPS MINERALIS.

℞ Mercurii e Cinnabari redivivi . . . . uncias duas,
Florum Sulphuris . . . unciam unam, & semis:
In mortario marmoreo, vel vitreo commisceantur, donec mercuriales globuli prorsus nulli appareant. Pulverem habebis subnigri coloris, qui in vitreo vase probe clauso servetur.

Dosis a granis viginti ad triginta.

N. In pulverem cinereum redigitur Hydargyrus, si duplo Sacchari canti subtiliter triti eodem modo admisceatur.

PULVIS ARI.

℞ Radicum Ari . . . . unciam unam cum dimidia,
Acori,
Pimpinellæ . . . . ana unciam unam,
Cinnamomi electi . . . . semunciam,
Salis essentialis Absinthii . . . . drachmas duas:
Confice ex omnibus Pulverem, & in vitro reconde.

PULVIS ASTRINGENS.

℞ Baccarum Myrti,
Balaustiorum,
Boli Armeniæ,
Mastiches,
Olibani,
Sanguinis Draconis . . . . . ana uncias duas:
Fiat omnium Pulvis.

PUL-

PULVIS CORNACHINI.

℞ Antimonii Diaphoretici,
Cryſtalli Tartari,
Scammonii Glycyrrhizati . . ana partes æquales:
Miſce: fiat Pulvis in vitro rite occluſo aſſervandus.
Doſis a drachma dimidia ad drachmam unam.

PULVIS DIASENNÆ

℞ Foliorum Sennæ mundatorum . . . . unciam unam, & ſemis,
Cryſtalli Tartari,
Mechoacannæ . . . . ana ſemunciam,
Rhabarbari . . . . . . drachmas duas:
Miſce: fiat Pulvis.

PULVIS DIATRAGACANTHI.

℞ Gummi Tragacanthi ſelecti . . . unciam unam,
Amyli,
Glycyrrhizæ mundæ . . . . ana drachmas duas,
Gummi Arabici . . . . . drachmas quinque:
Pulverentur, & commiſceantur; atque, hoc Pulvere cum uti volueris, ad ſingulas ejuſdem drachmas adde Seminis Papaveris albi,
Cucumeris . . . . ana grana decem.

PULVIS E CHELIS CANCRORUM.

℞ Chelarum Cancrorum . . . unciam unam,

Cornu Cervi philoſophice præparati,
Succini albi præparati . . . ana unciam ſemis;
Lapidis Bezoardici Occidentalis,
Radicis Serpentariæ Virgi-
nianæ . . . . ana drachmas duas;
Nucis moſchatæ . . . drachmam unam:
Fiat Pulvis in vitreo vaſe bene obturato reponendus.

PULVIS, SEU SPECIES DIACARTHAMI.

℞ Seminum Carthami demptis
corticibus . . . . . drachmas ſex;
Gummi Tragacanthi,
Hermodactylorum,
Scammonii Syriaci . . . . ana ſemunciam;
Cinnamomi electi,
Radicis Liquiritiæ . . . ana drachmas duas,
Turpethi . . . . unciam unam:
Fiat Pulvis. Doſis a ſcrupulis duobus ad quatuor.

PULVIS, SEU SPECIES DIARRHODON.

℞ Roſarum rubrarum reſciſſis unguibus uncias duas;
Santali citrini deraſi . . . unciam unam,
Cardamomi minoris,
Cinnamomi,
Croci,
Maſtiches,
Nardi Indicæ,
Seminis Fœniculi . . ana drachmam unam:
Fiat omnium Pulvis.

PUL-

PULVIS, SEU SPECIES DIASCORDII.

℞ Foliorum Scordii in umbra ſiccatorum . . . unciam unam, & ſemis,
Roſarum rubrarum demptis unguibus . . . . unciam unam,
Boli Armeniæ præparatæ . . . uncias duas,
Caſſiæ ligneæ,
Cinnamomi,
Foliorum Dictamni Cretici,
Galbani veri,
Styracis Calamitæ puri . . . ana unciam ſemis,
Radicum Biſtortæ . . . drachmas decem,
Gentianæ,
Gummi Arabici . . ana drachmas quinque,
Opii . . . . drachmas duas:

Fiat Pulvis per ſericum trajiciendus, & in mortario bene commiſcendus.

Doſis a ſcrupulo uno ad duos.

PULVIS, SEU SPECIES HIERÆ.

℞ Aloes Soccotrinæ . . . . . uncias quatuor,
Maſtiches,
Radicum Aſari,
Zedoariæ . . . ana ſemunciam,
Croci . . . . drachmas duas:

Fiat Pulvis.



CAPUT VIII.

DE CONFECTIONIBUS.

§. I.

CONFECTIONES SIC DICTÆ.

CONFECTIO ALCHERMES.

℞ Cinnamomi electi,
Granorum Chermes . . . . ana drachmas sex,
Santali citrini derasi,
Coralliorum rubrorum lævigatorum,
Margaritarum lævigatarum . . . ana drachmas tres,
Foliorum Auri . . . drachmam semis,
Syrupi Chermesini . . . . . . uncias sexdecim:

Syrupus calefiat, & linteo raro percoletur: tum M. B. aliquantum evaporet. Tepenti Syrupo cætera pulverata probe admisceantur. Materia diebus aliquot fermentescat; postea admistis Auri Foliis in fictile vitreato Confectio reponatur.

N. Quum hæc completa, ut vocant, Confectio præscribitur, Ambræ cineraceæ dimidium granum ad singulas ejusdem drachmas addendum est.

CONFECTIO ANACARDINA.

℞ Anacardiorum,
Succini albi præparati . . . . ana unciam unam,
Cubebarum,
Gummi Arabici,

Radicis

Radicis Valerianæ . . . ana ſemunciam,
Caſtorei Ruſſienſis . . . drachmas tres,
Mellis colati . . . . . . libram unam:
Melli adhuc tepido omnia rite pulverata admiſceantur.

CONFECTIO HYACINTHINA.

℞ Hyacinthorum lævigatorum . . . unciam ſemis,
Coralliorum rubrorum præparatorum,
Boli Armeniæ purificatæ,
Oculorum Cancrorum præparatorum,
Scobis Cornu Cervi . . ana unciam unam:
Radicum Tormentillæ,
Dictamni albi,
Granorum Chermes,
Seminum Citri detracto cortice,
Roſarum rubrarum abſciſſis unguibus,
Myrrhæ electæ,
Santali citrini,
Croci Orientalis . . . . ana drachmas duas,
Foliorum Auri,
Argenti . . . ana drachmam ſemis,
Sacchari albi ſicci . . . . . . libras duas,
Succi Limonum recens expreſſi . . uncias duas:

Præparata denuo lævigentur, & cum cæteris (exceptis Croco, Argenti, & Auri foliis) ſimul tritis, & per ſericum bis trajectis bene commiſceantur. Crocus calore leni exſiccatus, & in pulverem tenuiſſimum redactus ſeorſum ſervetur. Tum Saccharum clarifica: ad Electuarii ſolidi conſiſtentiam decoque: additoque Limonum Succo poſt brevem ebullitionem

in

in vas ſtanneum effunde. Tepefacto Syrupo Pulverem, aſſidue agitando, partitim inſperge: tandem Crocum in mortariolo lapideo cum Aqua Citri ſubactum, & dilutum adjice, diuque commiſce.

Per dies octo Confectio hæc identidem remiſcenda; & cum fermenteſcere deſierit, Auri Argentique Folia addenda ſunt.

CONFECTIO PASSULATA.

℞ Foliorum Sennæ . . . . uncias quatuor,
Aquæ communis . . . . libras quatuor,
Sacchari albi,
Paſſularum minorum . . . . ana libram unam,
Olei eſſentialis Citri . . . guttas viginti:

Foliis Sennæ affundatur Aqua fervens ad extrahendam tincturam: in qua percolata decoquantur Paſſulæ: tum Pulpa per cribrum trajecta cum Saccharo tabellato aſſidua agitatione, lenique calore in Electuarium redigatur; & cum refrixerit, addatur Eſſentia Citri modico Saccharo commiſta.

N. Catharticum, quod in Officinis noſtris Paſſulatum vocatur, ex tempore fieri poteſt adjecta drachma una Radicis Jalappæ pulveratæ ad ſemunciam Confectionis paſſulatæ.

CONFECTIO VULGO CONSERVA CASSIÆ.

℞ Radicis Liquiritiæ mundæ, & inciſæ . . uncias tres,
Foliorum Malvæ . . . . . manipulos tres,
Aquæ communis . . . . libras quatuor:

Fiat

Fiat Decoctum, in quo percolato clarifica, & ad tabellarum modum decoque

Sacchari albi . . . . . . libras tres,

Tum adde

Pulpæ Cassiæ recenter extractæ . . . libras tres,

Seminum Melonum cribro trajectorum . . . . uncias quatuor:

Lento igne evaporent, continenter movendo, ad justam consistentiam.

§. II.

ELECTUARIA.

ELECTUARIUM DE BACCIS LAURI.

℞ Baccarum Lauri . . . . . uncias duas,

Mastiches,

Myrrhæ,

Olibani . . . . . ana unciam unam,

Costi Arabici,

Cyperi rotundi . . . . ana semunciam,

Olei expressi e Baccis Lauri

Terebinthinæ Cipriæ . . . ana uncias tres,

Mellis colati . . libram unam cum dimidia:

Melli tepefacto Terebinthina, & Oleum laurinum simul liquefacta adjiciantur. His deinde reliqua pulverata ex cribro inspergantur; & rite omnia commiscendo fiat Electuarium.

ELE-

ELECTUARIUM DE JUNIPERO.

℞ Rob Juniperi,
Mellis albi colati . . . . . . ana libram unam,
Baccarum Juniperi . . . uncias quatuor,
Cinnamomi electi,
Corticum Aurantiorum exſiccatorum . . . . ana ſemunciam:

Mel, & Rob leni calore ſimul liqueſcant, quibus cætera in pulverem trita admiſceantur.

ELECTUARIUM DIAPHŒNICUM.

℞ Pulpæ Dactylorum . . . . libram unam,
Turpethi . . . . uncias quatuor,
Radicis Liquiritiæ mundæ . . . . uncias duas,
Scammonii Syriaci . . unciam unam, & ſemis,
Mellis colati . . . . libras duas, & uncias octo:

Dactyli ab oſſiculis, & interiore corticula mundati in Aqua bulliant: deinde per cribrum trajecta Pulpa cum Melle ad ſuperflui humoris exhalationem, lignea ſpathula aſſidue agitando, leniter coquatur. His tepefactis Scammonium ſeparatim pulveratum, cæteriſque ſubtiliter tritis commiſtum, ſemper agitando ad perfectam omnium permiſtionem inſpergatur.

ELECTUARIUM DIASCORDII.

℞ Pulveris Diaſcordii . . . . uncias decem;
Mellis albi colati . . . . . . libras tres:

Melli

Melli adhuc tepido admiſceatur Pulvis; & fiat Electuarium ad octo fere dies identidem agitandum.

ELECTUARIUM HIERÆ.

℞ Pulveris Hieræ . . . . . . uncias ſex;
Mellis albi colati . . . . . . libras duas:

Melli tepenti adjiciatur Pulvis; & probe miſcendo fiat Electuarium.

ELECTUARIUM LENITIVUM.

℞ Radicum Polypodii querni . . . uncias quatuor,
Foliorum Sennæ mundæ . . . . uncias duas,
Mercurialis . . . . manipulos tres,
Aquæ communis . . . . libras octo:

Sennæ Foliis affundantur Aquæ ferventis libræ duæ, factaque maceratione per horas ſex coletur Tinctura. In Aquæ reliquo infunde Radices Polypodii mundas, & contuſas: ad medias decoque: tum adde Mercurialis Folia; & poſt brevem ebullitionem exprime, & cola Decoctum, in quo bulliant, quantum ſatis,
Prunorum dulcium enucleatorum . . . . unciæ ſex:
per cribrum trajiciatur Pulpa: tum

℞ Pulpæ hujus,
Tamarindorum,
Caſſiæ,
Conſervæ Violarum cribro trajectæ . . . . ana uncias ſex,
Sacchari albi in Sennæ Tinctura liquati, & in craſ-

Q ſum

ſum Syrupum cocti . . . . libras duas:

Pulpæ cum Syrupo ad humoris ſupervacui evaporationem continenter movendo ſuper ignem lenem detineantur: poſt addita Conſerva fiat Electuarium, cujus tepefacti libris ſingulis admiſceatur

Pulveris Foliorum Sennæ mundæ . . . ſeſcuncia.

ELECTUARIUM TRIPHERÆ PERSICÆ.

℞ Succi purificati Solani hortenſis,
Endiviæ . . . . . ana uncias ſex,
Sacchari albi . . . . libram unam,
Pulpæ Tamarindorum . . . . uncias ſex,
Rhabarbari . . . . . uncias duas, & ſemis,
Myrobalanorum citrinarum,
Maſtiches electæ,
Santali citrini deraſi . . . . . ana ſemunciam,
Macis . . . . drachmas duas:

Saccharum cum Succis clarifica: per pannum cola, & in Syrupum decoque: deinde Tamarindorum adiecta Pulpa tantum coquendo perge, quantum neceſſariæ evaporationi ſufficiat. His tepefactis cætera ſimul pulverata inſperge, & miſce in Electuarium.

MITHRIDATIUM.

℞ Caſtorei Ruſſienſis,
Croci,
Olei Nuciſtæ expreſſi,
Succini,

Tere,

Terebinthinæ Cypriæ,
Galbani veri, & puri,
Myrrhæ,
Gummi Arabici.. ana unciam unam cum dimidia,
Radicum Acori,
Cofti Arabici,
Ariftolochiæ rotundæ,
Valerianæ,
Zedoariæ . . . . . ana unciam unam;
Foliorum Dictamni Cretici,
Marrubii albi,
Rutæ,
Serpylli,
Pulegii,
Florum Junci odorati,
Chamæmeli,
Polii montani,
Stœchados Arabicæ,
Tanaceti,
Seminum Ammi,
Dauci Cretici,
Cardamomi minoris,
Cubebarum.... ana drachmas decem;
Opii electi . . . . . . drachmas fex,
Mellis albi colati . . . triplum omnium,
Vini malvatici . . . . . . quantum fufficit:

In ea Vini quantitatæ, quæ fatis fit, Opium diffolutum, & linteo percolatum Melli calenti diligenter admifceatur: cui poftea tepenti Oleum Nucis mefcharæ una cum Terebinthina liquefactum optime commif-

cendo adjiciatur : tum ab igne remoto vase cætera omnia in Pulverem tenuissimum trita, & bene commista (excepto Croco, qui seorsum pulveratus, & Vino dilutus postremo addendus est) ex cribro sensim inspergantur, baculo ligneo continenter revolvendo, donec totus Pulvis Melli, & rebus aliis probe admistus, & perfecte in unam massam coacta sint omnia. Tum in amplo vase, cujus tertia saltem pars vacua remaneat, reponatur Confectio, ut facile subigi possit; neque interea erumpat, dum fermentescet.

THERIACA ANDROMACHI.

℞ Trochiscorum Scillæ . . . . . uncias sex;
Viperarum siccatarum,
Trochiscorum Ædychroi,
Piperis longi,
Opii Thebaici . . . . . . ana uncias tres;
Iridis Illyricæ, vel Florentinæ,
Rosarum rubrarum resciſſis unguibus,
Succi Glycyrrhizæ,
Seminis Napi agrestis,
Summitatum Scordii,
Opobalsami, vel Olei Nucistæ expressi,
Cinnamomi,
Agarici . . . . ana unciam unam, & semis;
Costi,
Nardi Indicæ,
Summitatum Dictamni Cretici,

Rha-

Rhapontici Orientalis,
Radicis Pentaphylli,
Zingiberi,
Foliorum Marrubii,
Stœchados Arabicæ,
Florum Junci odorati,
Seminis Petroſelini Macedonici,
Florum Nepetæ,
Caſſiæ ligneæ,
Croci,
Piperis albi,
nigri,
Myrrhæ,
Olibani,
Terebinthinæ Cypriæ. . . . . ana drachmas ſex,
Radicis Gentianæ,
Meu Athamantici,
Radicis Valerianæ,
Nardi Celticæ,
Amomi,
Chamæpitys,
Florum Hyperici,
Malabathri,
Summitatum Polii montani,
Chamædrys,
Carpobalſami,
Seminis Aniſi,
Fœniculi,
Cardamomi minoris,
Seſeleos Maſſilienſis,

Ammeos,
Thlaspi,
Succi Hypocystidis,
Acaciæ,
Gummi Arabici,
Styracis Calamitæ,
Terræ Lemniæ,
Chalcitidis ustæ, vel Vitrioli viridis ad albedinem calcinati,
Sagapeni . . . . . . ana drachmas quatuor,
Radicis Aristolochiæ tenuis,
Summitatum Centaurii minoris,
Seminis Dauci Cretici,
Opopanacis,
Galbani Orientalis puri,
Bituminis Judaici,
Castorei electi . . . . ana drachmas duas,
Mellis albi despumati . . . libras quatuordecim,
Vini optimi . . . . quantum satis:

Selecta probe omnia, mundata, & ordine disposita (præter Opium, Chalcitidem, Terebinthinam, & Oleum Nucis moschatæ) redigantur in Pulverem tenuissimum, qui per sericum trajiciatur; ea tamen cautione adhibita, ut, Arida dum conteruntur, his Oleosa, Gummi, & Succi partitim commisceantur. Viperæ, Schœnanthus, Nardus Indica forfice minutim concisa, optimeque dein contusa cum mucilagine Tragacanthi recipiantur in massam: hæc autem siccata teratur: iterum mucilagine imbuta siccetur, in subtilem Pulverem redigenda, qui cæteris admisceatur.

tur. Opium diſſolvatur in ſufficienti quantitate Vini, & per linteum trajiciatur: Chalcitis quoque Vino diſſoluta coletur. His ita diſpoſitis præſto ſit ahenum amplum ſtanno obductum, in quo leni igne ſuppoſito liquefiat Mel: cui liquato pedetentim, atque iteratis vicibus affundantur Chalcitis, & Opium diſſoluta, continenter remiſcendo: poſt Oleum Nuciſtæ una cum Terebinthina liquatum: quibus probe commiſtis ſenſim ex cribro inſpergatur Pulvis, baculo ligneo aſſidue agitando, donec omnia in unum commiſta, & adunata ſint. Tunc vaſe ab igne ſublato aſſidue agitentur, dum frigeſiant. Electuarium in amplo vitreato vaſe reconde, & ad menſes aliquot interdum agita.

THERIACA DIATESSARON.

℞ Radicum Gentianæ,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Myrrhæ,
Baccarum Lauri . . . . ana uncias quatuor,
Mellis optimi colati . . . . . . libras quatuor:
Fiat Electuarium.

THERIACA TAURINENSIS.

℞ Pulpæ Scillæ per cribrum trajectæ. . . . . libram unam, & ſemis,
Terebinthinæ Cypriæ,
Olei expreſſi Nuciſtæ,

Succi

Succi Liquiritiæ,
Opii,
Viperarum ſiccatarum . . . ana uncias novem;
Cinnamomi,
Myrrhæ . . . . ana uncias octo,
Balauſtiorum,
Benzoe electi,
Croci,
Gummi Arabici,
Olibani . . . . ana uncias ſex;
Radicum Angelicæ odoratæ,
Dictamni albi,
Coſti Arabici,
Contrayervæ Hiſpanicæ;
Serpentariæ Virginianæ,
Iridis Florentinæ,
Gentianæ,
Valerianæ,
Summitatum Calaminthæ montanæ,
Chamæpitys,
Polii montani,
Scordii . . . . . . ana uncias quinque,
Baccarum Lauri,
Seminum Cardamomi minoris,
Citri,
Petroſelini Macedonici,
Seſeli Maſſilienſis . . . ana uncias quatuor,
Vitrioli viridis ad albedinem calcinati . . . . . . drachmas decem,
Spicæ Indicæ,

Caſtorei

Castorei Russiensis . . . . . ana uncias duas,
Mellis albi colati . . . . triplum,
Vini Malvatici . . . . . . quantum sufficit:
Paretur Electuarium ad normam Theriacæ Andromachi.

§. III.

TABELLÆ.

TABELLÆ AD BOTIUM.

℞ Pulveris ad Botium . . . . . uncias sex,
Sacchari albi sicci, & pulverati . . . . libram unam,
Mucilaginis Tragacanthi . . . quantum sufficit:
In mortario misceantur: tum addita per partes mucilagine, pinsendo cogantur in massam, ex qua formentur Tabellæ calido loco siccandæ.

TABELLÆ DE ALTHÆA.

℞ Pulveris Radicis Althææ . . unciam unam, & semis,
Sacchari albi . . . . libram unam:
Cum mucilagine Tragacanthi fiant Morselli.

TABELLÆ DE GLYCYRRHIZA.

℞ Pulveris Radicis Liquiritiæ,
Amyli . . ana unciam unam, & semis,
Iridis Florentinæ . . . . semunciam,
Sacchari albi . . . librum unam, & semis:

R Cum

Cum Tragacantho in Aqua Florum Aurantiorum ſoluto fingantur Rotulæ.

TABELLÆ DE SEMINE SANTONICO.

℞ Seminis Santonici . . . . . unciam unam,
Myrrhæ . . . . ſemunciam,
Sacchari albi . . . . libram unam:
Cum mucilagine Tragacanthi fiant Tabellæ perexiguæ.

TABELLÆ DE TRIBUS, SEU SACCHARUM NITRATUM.

℞ Nitri puri . . . . unciam unam,
Chryſtalli Tartari . . . . . ſemunciam,
Sacchari albi . . . . libram unam,
Mucilaginis Tragacanthi . . quantum ſatis:
Fiant Tabellæ.

TABELLÆ DIACARTHAMI.

℞ Pulveris Diacarthami . . . . uncias tres,
Sacchari albi pulverati . . . . . . libram unam:
Cum Tragacantho in Aqua ſoluto fiant Tabellæ.

TABELLÆ DIARRHODON.

℞ Pulveris Diarrhodon . . . unciam unam, & ſemis,
Sacchari albi . . . . libram unam:
Cum ſolutione Tragacanthi redigantur in maſſam, ex qua fiant Tabellæ.

TA-

TABELLÆ DIARRHODON CUM RHABARBARO.

℞ Pulveris Diarrhodon,
Rhabarbari . . ana unciam unam, & ſemis,
Sacchari albi . . . . libram unam,
Mucilaginis Tragacanthi . . . quantum ſatis:
Formentur ſ. a. Tabellæ.

TABELLÆ DIATRAGACANTHI.

℞ Pulveris Diatragacanthi additis
Seminibus . . . . . unciam unam, & ſemis,
Sacchari albi . . . . libram unam:
Miſce, & cum mucilagine, ut ſupra, Tabellas conﬁce.

TABELLÆ PERLATÆ, VULGO MANUS CHRISTI.

℞ Margaritarum præparatarum . . . unciam unam,
Sacchari canti pulverati . . . . libram unam:
Cum Tragacantho Aqua Citri diſſoluto formentur Morſelli.

TABELLÆ ROSATÆ.

℞ Roſarum rubrarum reſectis unguibus
ſiccatarum . . . . unciam unam,
Sacchari albi clariﬁcati, & in Electuarium ſolidum
cocti . . . . . libram unam, & ſemis,
Succi Limonum . . . . . drachmas duas:

Rosas in subtilem pulverem tritas, & Succo Limonum aspersas fervente Saccharo permisce: tum vase ab igne remoto indesinenter agita baculo ligneo, donec Saccharum spissari incipiat: mox supra chartam effunde, & adhuc tepens in Tabellas divide.

TABELLÆ VIOLATÆ.

℞ Succi Violarum mundatarum recens expressi . . . . . uncias tres,
Sacchari albi pulverati . . . . libras duas,
Iridis Florentinæ pulveratæ . . . unciam unam:

Saccharum moderato igne in vase idoneo siccetur, & spathula continenter agitando incalescat: cui Radicis Iridis Pulverem, postea Violarum Succum adde, & commisce: tum ex materia effusa, ut supra dictum est, Tabellas confice.

§. IV.

TRAGEMATA.

TRAGEMATA DE CHINACHINA.

℞ Chinachinæ selectæ . . . . . . unciam unam,
Extracti sicci Chinachinæ . . . . . uncias tres,
Sacchari albi clarificati . . . . . libras tres:

Pulverata, & commista in pelvim æneam inde: tum supposito igne moderato paulatim affunde Saccharum in Syrupum coctum, & pelvim assidue versa,

donec

donec omnino Pulvis Saccharo obductus in grana coalescat.

TRAGEMATA DE SEMINE SANTONICO.

℞ Seminis Santonici,
Radicis Serpentariæ Virginianæ ana drachmas sex,
Jalappæ,
Rhabarbari . . . ana unciam unam,
Sacchari albi clarificati . . . libras tres:
Fiant ex Arte Tragemata.

CAPUT IX.

DE TROCHISCIS.

TROCHISCI ALBI, SEU SIEF ALBUM.

℞ Cerussæ Aqua Rosarum ablutæ,
dein siccatæ . . . . drachmas decem;
Sarcocollæ . . . . drachmas tres,
Amyli,
Gummi Arabici . . . . . ana drachmam unam,
Caphuræ . . . . drachmam semis:
Fiat omnium Pulvis, qui in mortario bene commistus, paullulum Aquæ sensim inspergendo, & assidue tundendo redigatur in massam, ex qua formentur Trochisci calido loco siccandi.

TRO-

TROCHISCI ALHANDAL.

Pulveratam Colocynthidem, quemadmodum Cap. I. §. III. tradidimus, cum Tragacanthi mucilagine, ut artis est, in Trochiscos redige. Dosis a granis quatuor ad decem.

TROCHISCI ALKEKENGI.

℞ Baccarum Alkekengi siccarum drachmas decem,
Boli Armeniæ purificatæ,
Gummi Arabici,
Mastiches electæ,
Succini albi præparati,
Seminum Papaveris albi,
Hyosciami albi ana drachmas quinque,
Opii . . . . drachmam unam:

Ex omnibus in Pulverem tenuissimum tritis cum mucilagine Tragacanthi fiat massa, ex qua Trochisci in umbra siccandi.

Dosis a scrupulo uno ad duos.

TROCHISCI DE AGARICO.

℞ Agarici derasi, & in Pulverem redacti . . . . uncias tres,
Zingiberi pulverati . . . . drachmam unam,

Cum mucilagine Tragacanthi, uti de aliis dictum est, formentur Trochisci.

TROCHISCI DE CAPPARIBUS.

℞ Corticis Radicis Capparum,
Gummi Ammoniaci puri . . ana unciam unam,
Seminum Agni casti,
Nasturtii aquatici,
Rutæ,
Radicis Acori . . . . . . ana semunciam:
Pulverentur omnia, & cum Succo Agrimoniæ in Syrupi modum cocto fiant Trochisci.

PASTILLI, SEU LAPIDES DE CONTRAYERVA.

℞ Radicis Contrayervæ Hispanicæ . . unciam unam,
Lapidis Bezoar Occidentalis,
Coralliorum rubrorum præparatorum,
Cornu Cervi . . ana drachmam unam cum dimidia,
Ambræ cineraceæ . . . . drachmam unam:
Seorsum pulverata, dein commista cum solutione Tragacanthi ex Aqua Citri redigantur in massam, ex qua formentur Globuli in umbra siccandi; postea in vitreo vase bene obturato reponantur.

TROCHISCI DE MINIO.

℞ Medullæ Panis albi siccatæ . . . unciam unam,
Mercurii sublimati corrosivi,
Minii . . . . . . ana drachmam unam:
Terantur in mortario marmoreo, & cum Aqua communi

muni cogantur in massam ita firmam, ut ex ea Trochisci oblongi commode fieri queant.

TROCHISCI DE MYRRHA.

℞ Myrrhæ electæ,
Foliorum Calaminthæ montanæ,
Rutæ,
Dictamni Cretici,
Sabinæ,
Assæ fœtidæ . . . . ana partes æquales:
Cum solutione Tragacanthi in Succo Marrubii albi formentur Trochisci.

TROCHISCI HEDYCHROI.

℞ Aspalathi,
Radicis Asari,
Foliorum Mari,
Amaraci . . . . ana drachmas duas;
Calami Aromatici,
Schœnanthi,
Costi Arabici,
Phu,
Opobalsami, vel Olei Nucistæ expressi,
Folii Indi,
Spicæ Nardi,
Cassiæ ligneæ,
Myrrhæ,
Santali citrini,

Croci

Croci . . . . . . ana drachmas ſex ;
Amomi . . . . unciam unam, & ſemis,
Maſtiches . . . . . . drachmam unam :
Ex omnibus cum Vino generoſo miſtis, maſſam conſice in Trochiſcos redigendam.

TROCHISCI SCILLITICI.

℞ Scillæ aſſatæ . . . . . . libram unam ;
Pulveris Radicis Dictamni albi . . . uncias octo :
In mortario marmoreo ſubige, & fac Paſtillos in umbra ſiccandos.

CAPUT X.

DE PILULIS.

PILULÆ ANTISCORBUTICÆ.

℞ Gummi Ammoniaci puri . . . . drachmas ſex,
Myrrhæ,
Acori veri,
Extracti Rhabarbari . . . . ana drachmas tres ;
Beccabungæ,
Trifolii fibrini ana drachmas quatuor, & ſemis,
Balſami Copaiba . . . . drachmas duas :
Liquefiant ſimul Extracta cum Balſamo, quibus deinde cætera in pulverem trita admiſceantur.

PILULÆ BALSAMICÆ SIC DICTÆ.

℞ Aloes violatæ . . . . . unciam unam;
Extracti Rhabarbari . . . . semunciam,
Balsami Peruviani sicci,
Benzoini . . . . . . ana drachmas duas,
Croci,
Myrrhæ . . . . ana drachmam unam;
Extracti Opii . . . . scrupulum unum:

Extracta Vini Spiritu dilue, tum ijs cætera pulverata commisce, & in massam redige.

PILULÆ CATHOLICÆ, SEU IMPERIALES.

℞ Aloes violatæ,
Extracti Rhabarbari . . . . ana semunciam;
Mastiches electæ,
Cubebarum . . . . ana drachmas tres;
Croci . . . . drachmas duas,
Spiritus Vini . . . quantum satis:

Extractis Vini Spiritu dilutis igne lenissimo cætera pulverata admisceantur.

PILULÆ COCCIÆ.

℞ Pulveris Hieræ . . . . drachmas decem;
Trochiscorum Alhandal,
Scammonii Syriaci . . . ana drachmas duas,
Turpethi,
Stœchados Arabicæ . . ana drachmas quinque;

Spiri-

Spiritus Vini rectificati . . . . drachmas ſex:
Pulverata in mortario cum Spititu Vini cogantur in maſſam.

PILULÆ DE ALUMINE.

℞ Aluminis puri . . . . ſemunciam;
Catechu præparati,
Sanguinis Draconis veri . . . ana drachmas duas:
Fiat omnium Pulvis, qui cum Albumine Ovi redigatur in maſſam.

PILULÆ DE CHINACHINA.

℞ Chinachinæ pulveratæ . . . unciam unam, & ſemis,
Salis febrifugi Sylvii,
Extracti Chamædrys,
Abſinthii,
Centaurii minoris . ; ana ſemunciam,
Theriacæ . . . . unciam unam:
Fiat maſſa dividenda in partes duodecim.

PILULÆ DE CYNOGLOSSO.

℞ Corticum Radicis Cynogloſſi
ſiccæ . . . . unciam unam;
Seminis Hyoſciami albi,
Opii . . . . ana drachmas duas;
Olibani . . . . drachmas ſex,
Croci . . . . drachmam unam,

Balſami Peruviani nigri . . . . quantum ſatis :
Opium ſeparatim pulveratum cæteris ſimul tritis admiſce : tum Balſamum ſenſim adjice, ac tundendo in maſſam redige. Doſis a granis quinque ad decem.

PILULÆ DE HIERA CUM AGARICO.

℞ Pulveris Hieræ . . . unciam unam, & ſemis;
Trochiſcorum de Agarico pulveratorum . . . . unciam ſemis:
Commiſceantur, & Spiritum Vini paulatim inſtillando, aſſidueque tundendo in maſſam redigantur.

PILULÆ DE SUCCINO.

℞ Succini albi præparati . . . . . drachmas tres;
Aloes Soccotrinæ . . . . . drachmas ſex,
Trochiſcorum de Agarico,
Radicis Ariſtolochiæ rotundæ . . . . ana drachmas duas:
Pulverata cum Spiritu Vini cogantur in maſſam.

PILULÆ DE TRIBUS.

℞ Aloes Soccotrinæ,
Agarici,
Rhabarbari . . . . . ana partes æquales:
Fiat omnium Pulvis cum Vini Spiritu in maſſam redigendus.

PILULÆ MARTIALES.

℞ Aloes violatæ . . . . . . uncias ſex,
Extracti Martis . . . . . . unciam unam:
Extractum pauculo Vino dilutum miſce cum Aloe in pulverem trita, & tundendo in maſſam redige.

PILULÆ MERCURIALES.

℞ Æthiopis mineralis . . . . . uncias duas,
Terebinthinæ Cypriæ . . . unciam unam,
Extracti Ligni Guajaci,
Aloes Soccotrinæ,
Scammonii Syriaci,
Reſinæ Jalappæ . . . . ana ſemunciam:
Fiat maſſa. Doſis ad drachmam unam.

PILULÆ DE AMMONIACO.

℞ Gummi Ammoniaci puri . . . . . uncias duas;
Aloes Soccotrinæ,
Tartari vitriolati . . . . ana ſemunciam:
Pulverata, & miſta cum Spiritu Vini cogantur in maſſam.

LAUDANUM OPIATUM.

℞ Extracti Opii,
Croci . . . . ana unciam unam,
Succini albi præparati . . . . . drachmas ſex,
Caſtorei Ruſſienſis pulverati . . . drachmas tres:
In vaſculo vitreato Extracta pauculo Vini Spiritu dilue: tum ijs cætera commiſce. Doſis a grano uno ad grana tria.

CAPUT XI.

DE AQUIS.

§. I.

AQUÆ MEDICATÆ.

AQUA AD BOTIUM.

℞ Lapidis Pumicis,
Spongiæ marinæ,
Pilæ marinæ,
Ossis Sepiæ . . . . ana uncias tres,
Salis Gemmæ . . . . uncias duas:

In olla figulina combure: postea tere: in libris quindecim Aquæ communis infunde, & per diem digere: tandem cola.

AQUA CALCIS PRIMA.

℞ Calcis vivæ . . . . libram unam;
Aquæ communis . . . . . . libras sex:

Calci in patina terrea resolvendæ tantum Aquæ asperge, quantum satis sit: deinde reliquam omnem paulatim affunde agitando: tum subsidente Calce defundatur Aqua ad usum externum servanda.

AQUA CALCIS SECUNDA.

Poſtquam prior Aqua, de qua modo diximus, elicita eſt, reſiduæ Calci affundatur Aqua recens calida ad libras ſex. Agitentur diu: poſt quieſcant. Calx reſidebit: tum per inclinationem Aqua ſeparetur, & colo chartaceo trajecta ad uſum internum aſſervetur.

AQUA PHAGEDÆNICA.

℞ Aquæ Calcis primæ . . . . libras duas,
Mercurii ſublimati corroſivi .. drachmam unam:

Sublimatum in mortario lapideo tere: Aquam ſenſim affunde, atque agita, ut is diſſolvatur: poſtea Liquorem vitreo vaſi inditum ſerva, qui iterum agitandus, cum eo utendum erit.

AQUA SAPHYRINA.

℞ Aquæ Calcis ſecundæ . . . . . . uncias decem,
Salis Ammoniaci pulverati . . . drachmam unam:

Sal in Aqua diſſolve: in pelvi ænea detine, donec Aqua cæruleo colore infecta ſit.

AQUA STYPTICA.

℞ Aluminis rupei,
Capitis mortui ex Floribus Salis Ammoniaci cum Hæma-

Hæmatite . . . . . ana uncias duas;
Phlegmatis Vitrioli . . . . libras tres:
Igne lento fiat Salium dissolutio: tum Liquor refrigeratus charta percoletur.

LIXIVIUM JUNIPERI.

℞ Cineris Ligni Juniperi . . . . uncias tres,
Aquæ communis . . . . . libras duas:
In cucurbita terrea digestio fiat supra calidos cineres horarum duodecim spatio: refrigeratum Lixivium per chartam trajiciatur.

Sic parari possunt Lixivia
ex Cineribus Absinthii,
Genistæ,
Tamarisci, &c.

§. II.

AQUÆ DISTILLATÆ SIMPLICES.

AQUA ABSINTHII.

ABsinthii recentem, & succosam Herbam in pila marmorea contusam humilique cucurbitæ vitreæ, aut stanneæ inditam M. B. distilla ad siccitatem. Aquam elicitam in vitreis vasis bene obturatis asserva.

Simili modo distillentur
Acetosa,

Aceto-

Acetoſella,
Beccabunga,
Chelidonium majus,
Chelidonium minus,
Euphraſia,
Farfara,
Fœniculum,
Mali Aurantiæ Folia,
Perſicaria,
Portulaca,
Sempervivum,
Salicis Folia cum Julis,
Tanacetum,
Trifolium fibrinum.

AQUA AGRIMONIÆ.

Collige Agrimoniam floridam: huic contuſæ, & in amplo fictili poſitæ quadruplum Aquæ affunde: biduo macerari ſinito; deinde ex campana ænea ſtanno illita, & refrigeratorio inſtructa, diſtillationem inſtitue: Aquam ad medias abſtrahe, in vitreis vaſis ſervandam.

Sic diſtillantur
Artemiſia,
Betonica,
Capillus Veneris,
Carduus benedictus,
Centaurium minus,
Fumaria,
Galega,

Scabiosa,
Carlina
Saxifragia } cum Radice.
Scorsonera

Aqua Borraginis.

Borragini recenti incisæ affunde Aquæ communis quantum sufficit: tum ex campana distilla vitando empyreuma.

Simili modo distillantur

Buglossum,
Cichorium,
Endivia,
Lactuca,
Malva,
Ononis cum Radice contusa,
Plantago, &c.

Aqua Cerasorum Nigrorum.

Ex Cerasis nigris silvestribus, & maturis prælo exprime Succum, cui dimidium Nucleorum contusorum admisce: tum sine maceratione Aquam M. B. ad tertias distilla, quam novis Nucleis adiectis rectificabis.

Aqua Cinnamomi Albida.

℞ Cinnamomi optimi contusi . . . uncias duas,

Aquæ

Aquæ communis . . . . . libram unam:
Triduo macerari ſine: ex retorta igne arenæ Aquam diſtilla, uſque dum albida prodire deſinat.

AQUA CITRI.

Mala Citria maturitati proxima uſque ad medullam acidam deradantur: tum ſtanneæ cucurbitæ indita M B. diſtillentur ad medias. Priorem hanc Aquam ſepone, & reliquam elice diſtillando ferè ad ſiccitatem: quæ poſterior Aqua, additis recentibus Citri Corticibus deraſis, iterum M. B. diſtilletur.

AQUA COCHLEARIÆ.

℞ Cochleariæ nondum florentis, ſub lucis ortum collectæ, atque inciſæ . . . . libras ſex,
Aquæ communis . . . . triplum:
Indantur ſtatim alembico, quod ſtanno probe obductum ſit, adiectoque refrigeratorio, atque excipulo, & juncturis agglutinatis diſtillatio fiat igne per gradus adaucto tamdiu producenda, dum Aqua odora, & ſapida prodeat. Hæc in ampullis vitreis diligenter obturatis ſervetur. Excipulo iterum admoto diſtillationem proſequere, quæque prodibit Aqua, novæ ejuſdem Plantæ diſtillationi inſerviet.

Eodem modo diſtillari poſſunt.

Cherefolium,
Eruca,
Naſturtium,
Raphanus ruſticanus cum Radice deraſa.

AQUA E TYPHIS CERVINIS.

Tenella, & recentia Cervorum Cornua minutim incisa M. B. ad siccitatem distillentur. Aquam elicitam pone in vase vitreo, & bene obtura, frigidoque loco asserva.

AQUA FLORUM AURANTIORUM.

Integri Flores cum Aquæ communis quadruplo in vase terreo ad horas sex macerentur: tum ex alembico Aquam elice, ac stillare finito, usque dum odoris expers prodire incipiat.

Sic distillantur Aquæ
Florum Chamæmeli,
Lavandulæ,
Rosarum albarum,
pallidarum,
Sambuci.

Simili ratione, & ad medias usque distillari possunt
Flores Liliorum alborum,
convallium,
Nymphææ,
Papaveris erratici,
Pæoniæ,
Rosarum rubrarum,
Tiliæ,
Violarum.

AQUA

AQUA HYSSOPI.

℞ Hyſſopi cotuſi . . . . . . libras ſex ;
Aquæ communis . . . . . quadruplum :
In fictile optime clauſo diem unum macerari ſine : ex alembico ad medias diſtilla : Aquam elicitam novi Hyſſopi additione rectifica.

Similiter procedendum in diſtillatione

Majoranæ,
Marrubii,
Meliſſæ,
Menthæ,
Pulegii,
Rutæ,
Salviæ,
Scordii, &c.

AQUA MELONUM.

Melones minutim inciſos M. B. propemodum ad ſiccitatem diſtilla.

AQUA SPERNIOLÆ.

Ranarum Sperma mundum, & idoneo tempore collectum ex cucurbita vitrea capitello inſtructa M. B. fere ad tertias diſtilla.



§. III.

§. III.

AQUÆ DISTILLATÆ COMPOSITÆ.

AQUA BALSAMICA.

℞ Costi corticosi,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Macis,
Balsami Peruviani sicci,
Benzoe selecti . . . . ana semunciam;
Spiritus Vini alcoholisati . . . libras tres:

In vitrea retorta biduum macerentur: tum apposito excipulo igne arenæ distilla, cavendo ab empyreumate.

AQUA CINNAMOMI SPIRITUOSA.

℞ Cinnamomi contusi . . . libram unam;
Spiritus Vini alcoholisati,
Aquæ Melissæ . . . . . ana libras quatuor:

In vitreo vase clauso per biduum macerari permitte: dein ex alembico distilla. Primum limpidus, tum albidus Liquor manabit: uterque commistus in lagena vitrea bene obturata recondatur.

AQUA DIURETICA.

℞ Radicis Saxifragiæ,
Petroselini,
Raphani rusticani . . ana libram unam;

Bac-

Baccarum Juniperi . . . . . uncias ſex,
Succi Limonum,
Aquæ diſtillatæ Melonum . . . ana libras tres:
Diurno ſpatio macerentur: tum M. B. ex cucurbita vitrea diſtillentur.

AQUA E CORDE CERVI.

℞ Cor Cervi fruſtatim diſſectum,
Radicis Zedoariæ,
Cinnamomi,
Cubebarum . . . . . ana drachmas tres,
Summitatum Meliſſæ . . . manipulos tres,
Florum Salviæ . . . . manipulos duos,
Corticis Citri . . . . . . unciam unam,
Spiritus Ceraſorum nigrorum rectificati . . . . uncias ſex,
Aquæ communis . . . . . . libras ſex:
Fervente balneo diſtilla ex alembico ad tertias.

AQUA EPILEPTICA.

℞ Florum Lilii convallium recentium . . . . manipulos octo:
Vini albi generoſi . . . . . . libras octo,
Facta per horam maceratione ex alembico ad medias igne leni diſtilla.
In Liquore diſtillato infunde
Radicis Valerianæ,
Florum Lavendulæ,
Roſmarini,

Ste-

Stœchadis Arabicæ . . ana drachmas quinque,
Nucis moſchatæ,
Cubebarum . . . . . ana drachmas quatuor,
Serpylli floridi . . . . manipulos duos:
Triduo digere: tum M. B. fere ad ſiccitatem diſtilla.

AQUA E TYPHIS CERVI.

℞ Cornu Cervini tenelli . . . libram unam,
Baccarum Juniperi,
Cinnamomi,
Macis,
Corticis Aurantiorum deraſi . ana ſemunciam,
Aquæ Meliſſæ . . . . libras duas,
Spiritus Vini alcoholiſati . . . uncias tres:

Cornu Cervi minutim inciſum, cætera contuſa in vitream cucurbitam immitte, quibus Aquam Meliſſæ, & Vini Spiritum adde; tum M. B. fervente ad ſiccitatem fere diſtilla. Elicitam Aquam in ampullis vitreis optime clauſis repone.

AQUA HYSTERICA.

℞ Radicum contuſarum Valerianæ,
Zedoariæ . . ana unciam unam,
Summitatum inciſarum Matricariæ,
Pulegii,
Florum Chamæmeli,
Sambuci ana manipulum unum, & ſemis,

Aquæ

Aquæ Cerasorum nigrorum . . libras tres;
Spiritus Cerasorum nigrorum . . . uncias tres:
Triduo digere: postea ex alembico fere ad siccitatem M. B. fervente distilla.

AQUA IMPERIALIS.

℞ Cinnamomi . . . . uncias duas;
Nucis moschatæ . . . . . . unciam unam,
Acori veri,
Baccarum Lauri . . . . . ana semunciam;
Cymarum Saturejæ incisarum,
Dictamni Cretici,
Calaminthæ montanæ . . . ana manipulos duos,
Aquæ Chamæmeli . . . . libras quatuor,
Spiritus Vini alcoholisati . . . libras duas:
In vitrea cucurbita trium dierum spatio macerentur: tum Aqua ex alembico usque eo distilletur, dum albida prodire desinat.

AQUA MELISSÆ.

℞ Summitatum Melissæ nondum florentis . . . . manipulos octo;
Corticis Limonum recens derasi . . . uncias sex;
Coriandrorum,
Cinnamomi . . . . . ana unciam unam;
Cubebarum,
Acori veri . . . . ana drachmas sex;
Aquæ Melissæ . . . . . . libras tres,

Spiritus Vini alcoholiſati . . . . libras quinque:
In alembico optime clauſo ad triduum macerari ſine: tum M. B. fervente Aquam eatenus elice, ut albida non amplius ſtillet.

AQUA SCORDII, VULGO THERIACALIS FRIGIDA.

℞ Aquæ Scordii . . . . . . libras quatuor,
Succi Acetoſæ,
Galegæ . . . . . . ana libras duas,
Succi Limonum . . . . libram unam, & ſemis,
Theriacæ . . . uncias quatuor, & ſemis:
Cum Succis, & Aqua miſtam Theriacam cucurbitæ vitreæ inde: tum M. B. diſtilla, donec magma inſtar liquidi extracti remaneat.

AQUA SERPYLLI.

℞ Serpylli floridi . . . . manipulos quatuor;
Florum Chamæmeli,
Cymarum Saturejæ,
Thymi . . . . ana manipulum unum,
Vini optimi . . . . libras ſex:
Triduo macerentur: tum ex alembico diſtilla ad medias: in Liquore diſtillato infunde
Serpylli paullum ſiccati, & conciſi . . . . manipulos tres,
Acori,
Caſſiæ ligneæ,

Cin-

Cinnamomi electi,
Macis . . . . ana unciam ſemis:
Facta per diem digeſtione, M. B. diſtilla ex alembico ad ſiccitatem.

AQUA THERIACALIS.

℞ Radicum contuſarum Contrayervæ Hiſpanicæ,
Serpentariæ Virginianæ,
Angelicæ odoratæ,
Zedoariæ ana unciam unam,
Theriacæ . . . . uncias ſex,
Aquæ Scordii,
Spiritus Vini rectificati . . . ana libras quatuor:
Triduo digerantur: tum alembico Aqua eliciatur M. B. fere ad ſiccitatem.

CAPUT XII.

DE SPIRITIBUS.

§. I.

ACIDI.

SPIRITUS ACETI, SEU ACETUM DISTILLATUM.

Vini Acetum ex terrea cucurbita vitreo capitello inſtructa igne leni diſtilla, uſque dum phlegma prodierit: tum aptato excipulo ignem ſenſim adauge, ut

acidus Liquor, seu Spiritus proliciatur, cavendo ab empyreumate.

SPIRITUS ALUMINIS.

Alumen rupeum tritum indatur fictili, vel vitreæ loricatæ retortæ, cujus dimidia pars vacua maneat. Hæc in furno reverberii collocetur, & igne leni eliciatur phlegma. Cum autem in excipulo albidæ nubeculæ apparere, guttæque acidi Liquoris erumpere cœperint, tunc mutato excipulo, & rite agglutinatis juncturis paulatim ignis ad vehementem gradum augeatur, in quo insistendum, donec cessante fumo transluceat excipulum.

SPIRITUS MELLIS.

℞ Mellis . . . . libras quatuor,
Arenæ siccæ . . . . libras duas:

Ex terrea cucurbita, cujus sextam circiter partem occupet materia, calore cinerum distilla, usque dum acidi Liquoris guttæ extillare incipiant. Id Mellis phlegma repone; & recipiente iterum aptato ignem per gradus auge, flavumque Spiritum elice.

SPIRITUS NITRI.

Nitrum siccum, & pulveratum, cum triplo exsiccatæ argillæ mistum, ex capaci retorta vitrea loricata, cui amplum excipulum adjectum sit, distilla in furno reverberii primum igne leni, dein ad secundum, & post horas aliquot ad tertium, & quartum gradum adaucto, in quo insiste, donec Spiritus omnino stillare desierit.

Nota,



Bart. Jos. Tasniere incidit Taurini 1737.

N. Per Nitri Spiritum Camphoræ dissolutio fit, quæ Oleum Camphoræ vulgo appellari solet. Nimirum Camphora trita si cum duplo Spiritus Nitri in parvulo matracio digeratur calore lenissimo, tota paulatim in limpidum Liquorem oleaceum convertitur, qui Nitri Spiritu subsidente supernatat. Liquor is per inclinationem a Spiritu separatus in vitreo vase obturato servetur.

SPIRITUS SALIS.

℞ Salis marini . . . . libras duas;
Argillæ . . . . libras sex:

Utraque seorsum siccata, & pulverata commisceantur, & in capaci retorta amplo excipulo adjecto distillatio fiat, ut in Spiritu Nitri traditum est.

SPIRITUS SULPHURIS.

Sit furnus figulinus A B C D, cujus cavitas inter ostium inferius E, & superius F ferreos bacillos habeat transversim positos. Supra furnum, cui plane congruat, collocetur vas vitreum G producto introrsum recurvo margine, ex quo rostrum H prodeat in suppositam ampullam I inditum. Idem vas G in collum assurgat, cujus summæ parti laxo aptetur nexu amplum capitellum L lato, brevique rostro præditum, quod excipiatur in vitreo tubo M M. Hujus tubi media pars N instar vesicæ ampliatæ sit, fulcroque innixa, extremum magno excipulo O accomodetur, quod in pelvi P, quæ Aqua semiplena sit, insistat. His ita constitutis supra bacillos

los ferreos crucibulum Q ponito vivo Sulphure liquato accensoque plenum, cui xylina fila admista sint: tum ostium claude. Cum totum Sulphur deflagraverit, crucibulum aliud Sulphure, uti prius, repletum apponatur. In ampulla, in concavo vitrei tubi globo, in excipulo acidum Liquorem, seu Spiritum reperies, qui collectus, & in vase vitreo positus igne lenissimo evaporet ad quartæ circiter partis consumptionem,

SPIRITUS VITRIOLI.

Vitriolo viridi ad albedinem calcinato media fere pars vitreæ retortæ, quæ tenaci, firmoque luto obducta sit, repleatur: tum retorta in furno reverberii collocetur, eique aptato amplo excipulo, & probe obseratis commissuris, succendatur ignis initio lenis, qui sensim ad quartum gradum augeatur; in quo gradu ad duos tresve dies persistendum; vel donec albidus fumus in excipulo nullus appareat. Stillatus Liquor in vitream retortam effundatur, & calore arenæ eliciatur phlegma, quod sepone: tum ignem paulatim auge: stillabit Spiritus, manente Oleo in retorta.

AQUA FORTIS.

℞ Nitri puri exsiccati,
Vitrioli viridis ad albedinem calcinati . . . . . ana partes æquales:

Pulverentur, & una misceantur, atque ex retorta vitrea loricata, cui amplum excipulum adjectum sit, igne

igne reverberii per gradus adhibito distillentur, donec fumus erumpere desinat, & excipulum quasi perlucidum sit.

N. Si Aquam Regiam parare vis, pone in cucurbita vitrea Sal Ammoniacum pulveratum, cui sensim affunde triplum Aquæ Fortis : leni calore digere : tum decanta.

§. II.

SPIRITUS ACIDI EDULCATI.

SPIRITUS DULCIS NITRI.

℞ Spiritus Nitri,
Spiritus Vini alcoholisati . . . . ana partes æquales :

Amplo matracio Vini Spiritum immitte : paulatim Nitri Spiritum affunde : tum capitellum cæcum matracio impone : indeque igne lenissimo arenæ ad horas viginti quatuor digere.

Ad eundem modum edulcentur
Spiritus Aluminis,
Salis,
Vitrioli.

SPIRITUS DULCIS TARTARI.

℞ Tartari albi . . . . libras octo,
Liquoris Tartari . . . . . . libras duas,
Spiritus Vini alcoholisati . . . uncias sex:

Con-

Contuſo Tartaro, & in matracium colli oblongi indito affundatur Liquor Tartari: deinde ampulla inverſa, (ut mos eſt) obturatum matracium in fimo equino collocetur, digerendo per menſem, vel uſque dum nigreſcere Tartarum, ac putrefieri incipiat: tum autem e matracio exime: loco tepido ſicca: ſiccatum pone in vitrea retorta loricata, & Vini Spiritum injice, poſtea amplum excipulum apta, & igne primum leni, dein ad tertium, & quartum gradum adaucto diſtilla, donec nihil amplius prodeat. Refrigeratis vaſis Spiritum ab Oleo per vitreum infundibulum ſepara, & in vaſe vitreo optime clauſo reconde.

§. III.

SPIRITUS ARDENTES.

SPIRITUS ABSINTHII.

℞ Abſinthii, paullo antequam floruerit, collecti, & contuſi . . . . libras triginta,
Aquæ tepidæ . . . . triplum,
Fermenti . . . . libras quatuor:

Abſinthio in vas ligneum immiſſo Aquam affunde, qua dilutum fuerit fermentum: vas opertum in loco tepido, & quieto repone, donec vinoſus odor exhalet: tunc ex alembico tandiu diſtilla, dum prunis injectus Liquor flammam non amplius concipiat. Spiritus autem prolectus ter repetita diſtillatione, terque additis Abſinthii floridi manipulis aliquot M. B. rectificetur.

Simi-

Similiter parantur
Spiritus ardentes Melissæ,
Rosarum,
Serpylli, &c.

SPIRITUS BACCARUM SAMBUCI.

℞ Succi Baccarum Sambuci fermentatione defæcati . . . , . quantum vis:
Distilla M. B. donec Spiritus ardens elicitus sit, qui rectificetur.

Sic distilletur Spiritus Baccarum Ebuli.

SPIRITUS CERASORUM NIGRORUM.

Ex Cerasis nigris silvestribus bene maturis extrahatur Succus, & simul cum Nucleis contusis fermentescat, usque dum Vinosum odorem spiret: tum a fæcibus per colum secretus ex alembico distilletur. Elicitus Spiritus recentibus additis Nucleis pariter contusis bis rectificetur.

SPIRITUS JUNIPERI.

℞ Baccarum Juniperi . : : : libras quindecim,
Aquæ fontis . . . . . . libras quinquaginta:
Fermentescant dierum quindecim spatio: tum per distillationem ex alembico eliciatur Spiritus, qui adjectis ad uncias aliquot Juniperi baccis etiam contusis rectificetur.

SPIRITUS VINI.

Vinum affunde alembico ſtanno illito, cujus dimidia pars vacua remaneat: capitellum cum refrigeratorio impone: tum igne lento diſtilla, uſque dum prodiens Liquor flamma admota non ardeat.


Rectificatum habebis Vini Spiritum ſemel, iterumque repetita ejus diſtillatione ex alembico.

N. Spiritus Vini camphoratus efficitur, ſi Camphoræ comminutæ ad unciam unam in vaſe vitreo optime clauſo diſſolutio fiat cum Vini Spiritus rectificati libra una.

SPIRITUS VINI ALCOHOLISATUS.

Supra furnum A pone vas æneum B Aqua ſemiplenum, cujus margini alembicum C apta, in quo Spiritum Vini bis rectificatum infunde: alembico fiſtulam æneam D ſtanno oblitam committe, cujus craſſitudo brachium, longitudo quatuor pedes æquet, æneumque habeat capitellum plumbatura conglutinatum cum refrigeratorio E, & longo roſtro F Huic roſtro aliam fiſtulam G pollicis craſſitudine adjunge, & intromitte in fiſtulam inflexam H, quæ vaſi I tanquam alteri capitello plumbatura colligata ſit. Hoc autem capitellum inſtrumento tripede ſuppoſito ita colloca in cado, ut illius roſtrum e foramine L prodeat: tum huic roſtro lagenam M adnecte intermedio tubo inflexo N: Cadum Aqua reple: ignem æneo lebeti ſuccende, & diſtillationem tandiu proſequere, quoad Spiritus in lagenam ſtillare perrexerit.

N.


E
F
G
D
H
C
I
B
L
N
A
M
Bart. Ios. Tasniere incidit Taurini. 1737.

N. Spiritum Vini tartarisatum efficies, si Sali Tartari in vas vitreum circulatorium indito Vini Alcohol affundas, & commissuris accurate obstructis igne arenæ lenissimo dierum trium spatio digeras. Hunc Spiritum tartarisatum defunde, & serva in ampulla vitrea probe occlusa.

SPIRITUS VINI ANTHOSATUS, SEU AQUA REGINÆ HUNGARIÆ.

℞ Florum Rosmarini recentium... libram unam,
Spiritus Vini alcoholisati..... libras quatuor:

In vase vitreo rite obserato per diem naturalem macerari sine, tum ex alembico fere ad siccitatem M. B. fervente distilla. Liquorem distillatum novis additis Floribus rectifica.

SPIRITUS COCHLEARIÆ.

℞ Cochleariæ ante Solis ortum collectæ, atque incisæ,
Succi Cochleariæ,
Aquæ communis ..... ana libras sex,
Spiritus Vini rectificati .... libras duas:

In alembicum refrigeratorio præditum indantur, & apposito excipulo, juncturisque occlusis extrahatur liquor ad medias. Huic adde

Cochleariæ recentis incisæ .... libras tres:

Ex alembico M. B. fervente Spiritum elice, quem in ampullis vitreis subere, cera, & vesica obturandis repone.

Ad eandem normam distillantur
Spiritus Cherefolii,
Nasturtii,
Raphani rusticani cum Radice derasa, & similium.

SPIRITUS SAPONIS.

℞ Saponis . . . . libras quatuor,
Spiritus Vini rectificati . . . . . libras duas,
Floris Solis . . . . . . libram unam:

Ex vitrea retorta igne arene moderato distillationem institue, tandiu producendam, dum Spiritus omnis prolectus sit, & guttæ Olei rubescentis exstillare incipiant.

§. IV.

SPIRITUS, ET SALES VOLATILES.

SPIRITUS, & SAL VOLATILIS CORNU CERVI.

Cornu Cervini scobem inde retortæ vitreæ loricatæ: in furno reverberii colloca: amplum excipulum apta: commissuras obstrue: tum igne moderato distillationem institue, & prosequere, donec Spiritus, & Sal volatilis ascendere incipiant: postea ignem usque ad quartum gradum sensim adauge, atque in eo insiste, donec albi fumi prodire desinant. Refrigeratis vasis excipulum amove, agita, ut ejus lateribus hærens Sal decidat. Hunc una cum Oleo, &

& Spiritu in matracium oblongi colli effunde, aptatoque capitello cæco Salem volatilem igne arenæ lenissimo sublima. Sale exempto, atque in ampulla arctissime obturanda reposito, Spiritum ab Oleo per infundibulum separa, per chartam trajice, & reconde.

Similiter extrahuntur

Sales, & Spiritus volatiles
Cranii humani,
Fuliginis,
Viperarum, &c.

SPIRITUS, SAL, ET OLEUM CLARUM SUCCINI.

Succinum crasse contusum vitreæ,, vel fictili cucurbitæ indatur, ita ut media cucurbitæ pars vacua remaneat: tum apposito vitreo capitello, cujus rostro parvulum excipulum adjectum sit, juncturisque obstructis distilletur lento igne, per gradus sensim augendo, dum Sal capitello adhærere, Spiritusque, & Oleum clarum in excipulum exstillare incipiant: tunc ab igne cucurbitam remove, qua refrigerata Salem capitello, & cucurbitæ lateribus hærentem exime. Aptato rursus capitello, & excipulo, juncturisque agglutinatis, igni moderato cucurbitam committe, donec Sal, & Oleum ascendant: vas ab igne iterum amove: frigescere permitte: Salem exime; idque toties repete, dum Sal, & Oleum clarum omnino elicitum sit. Tandem Spiritum ab Oleo per infundibulum separa, & in vitreis ampullis subere,

&

& cera obturandis seorsum repone. Caput mortuum in cucurbitæ fundo superstes asserva.

N. Ex duobus modo memoratis Salibus simul permistis in hunc modum confici potest Liquor is, qui Cornu Cervi succinatus appellatur: videlicet

℞ Salis volatilis Cornu Cervi,
Succini... ana drachmas duas,
Aquæ Salviæ.... unciam unam cum dimidia:

Matracio inditis Salibus instilletur Aqua: sedato fervore obturetur matracium, & ad integram Salium dissolutionem reponatur.

SPIRITUS SALIS AMMONIACI.

℞ Salis Ammoniaci... libram unam, & semis;
Calcis vivæ .... libras quatuor:

Separatim pulverata, dein commista, pone in vitrea capaci retorta: tum affunde Aquæ communis uncias octo, iterumque agitando commisce: hinc in arena retortam colloca: excipulum illico apta, juncturisque vesica agglutinatis quasdam partes volatiles ultro prodire sinito: postea ignem succende, & paulatim auge, ut Spiritus omnis eliciatur, in vitreo vase rite occluso servandus.

SAL VOLATILE AMMONIACUM.

℞ Salis Ammoniaci,
Salis Tartari ...... ana libram unam:

In mortario marmoreo seorsũ pulverata, tum simul mista

miſta ponantur in matracio oblongi colli, quod capitello cæco inſtructum ſit. Sal volatile igne arenæ leni ſublima.

N. Caput mortuum Aqua fervente diſſolvatur: percoletur Lixivium: ad pelliculam exhalet, & in cella ſubterranea reponatur, ut fiant Cryſtalli. Habebis Sal febrifugum Sylvii.

SPIRITUS, ET SAL VOLATILIS OLEOSUS.

℞ Salis Ammoniaci pulverati,
Salis Tartari . . . . ana libram unam,
Olei eſſentialis Cinnamomi,
Juniperi,
Macis . . . ana drachmam ſemis,
Spiritus Vini alcoholiſati . . . . . uncias ſex:

Sales in mortario lapideo, Olea eſſentialia ſenſim ijs inſtillando, piſtillo commiſce: miſtis, & matracio oblongi colli continuo inditis Vini Alcohol affunde, & cæcum capitellum apta. Tum leni igne arenæ ſublimetur Sal, quo exempto appone capitellum roſtro præditum, atque ignem parumper auge, ut totum Spiritum educas.

GUTTÆ ANGLICÆ.

Ex ſiccis, atque integris Bombycinis Folliculis per vitream loricatam retortam Spiritum, & Salem volatilem elice, uti in proceſſu Spiritus, & Salis volatilis Cornu Cervi dictum eſt: tum

℞ illius Spiritus una cum Sale, rejecto
Oleo . . . . uncias quatuor;

Spi-

Spiritus Vini alcoholiſati . . drachmas quatuor;
Olei eſſentialis Lavendulæ . . drachmam unam:

In parvula retorta obturata diurno ſpatio digere, dein appoſito excipulo, juncturiſque veſica, & glutine obſeratis, leniſſimo igne arenæ ad ſiccitatem diſtilla.

CAPUT XIII.

DE SALIBUS.

§. I.

SALES VOLATILES.

Vide ſuperiorem §. de Spirit. & Salibus volatilibus.

§. II.

SALES ESSENTIALES.

SAL ABSINTHII.

COllectum Abſinthium paullo prius quam Flores emiſerit, & in pila marmorea contuſum, in vas fictile idoneum immitte: Aquæ tantum affunde, qua immergatur: tum ad dies viginti tepido, & quieto loco repoſitum fermenteſcat: poſtea Liquorem prælo expreſſum quieſcere ſine; & cum fæx ſubſiderit, defunde, per chartam cola, atque ad liquidi Syrupi conſiſtentiam per evaporationem redige. Iterum percola ut antea, vaſi-

que

que vitreo inditum ad plures menses in cella repone; vel donec vasis fundo, & lateribus adhæreant Crystalli. His collectis evaporationem, & crystallisationem repete, usque dum Salem totum exhauseris; quem tandem in Aqua ejusdem Plantæ stillatitia solutum percola: exhala, & in cella detine, ut denuo formentur Crystalli.

Simili modo eliciatur

Sal essentialis Cardui benedicti,
Centaurii minoris,
Scordii, &c.

SAL ACETOSELLÆ.

Ex florida Acetosella, rejectis Radicibus, eliciatur Succus, qui fermentatione, & colo chartaceo depurgetur: tum in vitrea cucurbita ad medias evaporet, iterumque percolatus calido loco reponatur, usque dum fiant Crystalli, a melligine separandæ, quas deinde Aqua dissolve: percola, & in Crystallos, ut anteá, redige.

Eadem norma extrahi potest

Sal essentialis Acetosæ,
Agrestæ, &c.

§. III.

ALCHALICI SALES LIXIVI:

SAL ABSINTHII.

ABsinthii cum stipite quantum vis combure in cinerem, qui patinæ terreæ inditus in fornace ad aliquot horas calcinetur: deinde in Aquæ decuplo bulliat,

dum eadem Sale ſaturata ſit. Lixivium calens percola: in fictile vitreato ad pelliculam evapora: tum frigido loco repone donec Sal in Cryſtallos concreſcat. Hiſce collectis reſiduum Lixivium per chartam denuo trajice: ad pelliculam exhala, ut altera Cryſtalliſatio fiat; idque etiam repete ad omnem Salem eliciendum. Quod ſi cryſtallinum Salem minime curas, Lixivium ad ſiccitatem evaporare ſinito, & reſiduam materiam Aqua dilue, filtra, evapora; quod ſæpius faciendum, ut album Salem obtineas, quem in vitreo vaſe rite occluſo ſerva.

Similiter parabis

Lixivios Sales Arthemiſiæ,
Cardui benedicti,
Centaurii minoris,
Ligni Juniperi,
Ononidis cum Radice,
Tamariſci,
Thecarum, &
Stipitum Fabarum.

SAL TARTARI.

Tartarum calcinatum in Aqua ſolve, percola: Lixivium effunde in vas figulinum, ut igne moderato exhalet ad ſiccitatem. Salem collige, & vitreo vaſe obturato incluſum in hypocauſto repone.

N. Cum Oleum Tartari per deliquium parare volueris, pone in patina vitrea Salem Tartari, & tandiu in humido loco detine, dum penitus in Liquorem reſo-

lutum

lutum ſit, quem deinde per chartam trajectum in vaſe vitreo aſſerva.

NITRUM FIXUM.

Nitrum purum in crucibulo amplo liqueſcat: tum carbonis pulverem ex cochleari projice iteratis vicibus, uſque dum ceſſante flamma, & fragore Nitrum coeat in maſſam. Hæc Aqua calida diſſolvatur, quæ panno percolata igne leni ad ſiccitatem evaporet. Habebis Nitrum fixum, quod bene ſiccatum in vaſe vitreo ſervabis.

N. Idem Sal cucurbitæ vitreæ inditus, atque in cella vinaria repoſitus liqueſcit: tum autem Nitri Liquor appellatur.

LAPIS CAUSTICUS.

℞ Cineris Sarmentorum calcinati . . libras quatuor,
Calcis vivæ pulveratæ . . . . libras duas:

Bulliant in Aquæ communis decuplo ad medias: tum percolatum Lixivium iterum bulliat ad ſiccitatem. Sal remanens crucibulo inditus calcinetur, donec fluat, & ſpumam agere deſinat: tum ſupra lapidem Oleo illitum effundatur, & protinus in Trochiſcos oblongos ſecetur, qui vaſe rite obturato incluſi in calido loco ſerventur.



§. IV.

SALES NEUTRI:

ARCANUM DUPLICATUM, SEU SAL DE DUOBUS.

℞ Capitis mortui ex diſtillatione Aquæ fortis . . . . libras tres;
Aquæ communis . . . . libras viginti quatuor:

Caput mortuum ollæ terreæ inditum ſuper fornace horæ unius ſpatio calcinetur. Eidem refrigerato Aqua fervens affundatur; ad medias bulliant: tum fervens percoletur Lixivium, cujus in fictile ad ſiccitatem evaporatio fiat. Remanens maſſa ſemel atque iterum Aqua diſſolvatur: Solutio per chartam trajecta iterum evaporet. Sali concreto bis affundatur Vini Spiritus alcoholiſatus, qui deflagret. Tandem novum Alcohol ſuperfuſum diſtillatione abſtrahatur ad ſiccitatem Salis, qui in vitreo vaſe obturato ſervetur.

SAL MIRABILE.

℞ Salis marini purificati . . . . libram unam,
Olei Vitrioli . . . . uncias octo:

Sali marino Aqua diſſoluto Vitrioli Oleum inſtilla, tum inde vitreæ retortæ, cui apponatur excipulum, & igne arenæ gradatim adhibito diſtilla. Prolectum Spiritum a phlegmate per evaporationem ſepara, & reconde. Quod in retorta remanet calcina, donec fumum emit-

emittere desinat: Aqua fervente dissolve: per chartam cola, atque igni arenæ committe, ut Aquæ tertia fere pars evaporatione absumatur: hinc loco frigido repone, ut formentur Crystalli a Liquore superstite diligenter separandæ, calidoque loco siccandæ.

SAL POLYCHRESTUM.

℞ Nitri puri pulverati . . . . libras duas,
Florum Sulphuris . . . . . . librам unam:

Simul commista in ollam candentem per partes injiciantur. Restincta flamma per duas horas ignem ita urge, ut olla semper candeat: tum massam exime: frigefactam tere: Aqua calente dissolve, quæ percolata ad cuticulam vaporet. Tum in frigido loco repone, ut Sal in Crystallos concrescat.

NITRUM STIBIATUM.

Quæ ad edulcandum Antimonium Diaphoreticum adhibita fuit Aqua, in fictile ad pelliculam evaporet: tum in cella reponatur; ut fiant Crystalli, quæ collectæ, & siccatæ in vitreo vase includantur.

SAL PRUNELLÆ, SEU CRYSTALLUS MINERALIS.

℞ Nitri puri . . . . libram unam,
Florum Sulphuris . . . . . drachmas duas:

In crucibulo Nitrum liqua: tum Sulphuris Flores per

vices

vices injice: cum deflagraverint, crucibulum ab igne remove: Nitrum effunde in pelvim cupream circumversandam, donec concrescat: tum exime, & serva.

TARTARUM SOLUBILE, SEU SAL VEGETABILE.

℞ Crystalli Tartari . . . . libram unam;
Salis Tartari . . . . uncias sex;
Aquæ communis . . . . libras octo:
In amplo vase figulino, postquam per se ferbuerint, ad ignem, quantum satis, bulliant: tum Liquor calens per chartam trajiciatur, & ad siccitatem evaporet.

TARTARUM VITRIOLATUM.

Cucurbitæ vitreæ quantitatem eam Liquoris Tartari immitte, quæ tertiam circiter vasis partem occupet: tum Vitrioli Spiritum rectificatum guttatim affunde, donec nullum amplius fervorem excitari videas: deinde igne arenæ lenissimo vaporet ad siccitatem.

TERRA FOLIATA TARTARI, SEU TARTARUM REGENERATUM.

℞ Salis Tartari exsiccati, & adhuc calentis . . . . libram unam;
Spiritus Aceti . . . . libras duas:
Salem Tartari in cucurbitam vitream inde: Aceti Spiritum sensim affunde: Sale saturatum Spiritum, & per

per chartam trajectum pone in cucurbita, & M. B. fere ad ſiccitatem elice inſipidum Liquorem: Sali recentem Aceti Spiritum denuo, ac tandiu adjice, ac prope ad ſiccitatem diſtilla, dum ſentias nihil eum denique acoris ſui amiſiſſe. Tandem in cucurbitæ fundo remanentem, & leni calore exſiccatum Salem triplo Vini Spiritus alcoholiſati ſolve: percola, & M. B. Vini Spiritum abſtrahendo, ſicca, obturatoque vitreo vaſe incluſum colloca in hypocauſto.

N Hunc ipſum Salem Spiritu Vini ſolutum, ſi ſervare vis, Tincturam: ſin autem ſiccatum liqueſcere ſinis in loco humido, Liquorem habes Terræ foliatæ Tartari.

Ad hanc Salium compoſitorum Claſſem ſequentia referri poſſunt.

I.

TARTARUM MARTIALE SOLUBILE.

℞ Tartari ſolubilis . . . . . libram unam,
Scobis Ferri . . . . uncias ſex,
Aquæ communis . . . . . . libras duodecim:

In olla ferrea ſupra cineres calidos triduo digerantur: bulliant deinde ad medias: poſtea fervens Liquor percoletur, & ad ſiccitatem exhalet.

I I.

SAL, SEU VITRIOLUM MARTIS.

Rubiginoſa Ferri Scobis ponatur in olla ferrea, & Spiritu Sulphuris dephlegmato large irroretur. Sedata efferve-

vescentia affundatur Aqua communis ad ollæ medietatem: postea horas duodecim bulliant, ferventem Aquam subinde adjiciendo. Liquor calens per chartam trajiciatur, & igne arenæ evaporet ad Salis concretionem: exempto Sali, & in vasculum vitreum indito Vini Alcohol ad trium digitorum eminentiam affunde: aliquot horas digere, defusoque Vini Spiritu Sal ad albedinem igne lenissimo exsicca.

III.

SAL, SEU SACCHARUM SATURNI.

Plumbi Cerussam pulveratam pone in cucurbita vitrea, Spiritumque Aceti ad eam sensim mensuram affunde, ut transversos quatuor digitos emineat: materia per triduum in digestione maneat, quam sæpius agita: postea, cum ea quieverit, Aceti Spiritum in aliud vas effunde, novumque residuæ Cerussæ adjice: digere: per inclinationem defunde; idque tot vicibus repete, dum Acetum non amplius dulcescat. Tunc ij Liquores simul omnes commisti, & charta percolati igne arenæ in cucurbita vitrea ad siccitatem exhalent. Siccata materia in pari quantitate Aquæ, & Aceti stillati solvatur: adhuc calens percoletur: ad pelliculam evaporet, & frigido loco ad crystallisationem reponatur.



I V.
TARTARUM EMETICUM.

℞ Croci Metallorum . . . . . . uncias quatuor;
Cryſtalli Tartari pulverati. . . . libram unam,
Aquæ communis . . . . . libras quindecim:

In fictile ſupra cineres calidos per noctem digerantur: poſtea ad horas octo, Aqua fervente aliquoties adjecta, bulliant: tum calidus Liquor per chartam trajiciatur: ad cuticulam evaporet, & in cella ſubterranea collocetur, ut fiant Cryſtalli; idque repetendum ſuperſtitis Liquoris evaporatione.

V.
LAPIS INFERNALIS.

Scobis Argenti puriſſimi cum triplo Spiritus Nitri in phiala vitrea ampla diſſolvatur: ſolutio igne arenæ leni evaporet ad tertias; poſtea crucibulo germanico indita lente bulliat, donec agere ſpumam, & fumum emittere deſinat, atque inſtar Olei appareat: tunc in tubulos ferreos oleo illitos ſtatim effundatur: concreta materies ponatur in vaſe vitreo, quod diligenter obſtruendum eſt, atque in ſicco loco aſſervetur.

V I.
LAPIS MEDICAMENTOSUS.

℞ Colcothar Vitrioli . . . . uncias ſex;
Lithargyri preparati,
Aluminis rupei . . . . ana uncias quatuor,

Aceti acerrimi . . . . . libram unam, & ſemis:
In fictile ad triduum macerentur omnia identidem agitando: tùm evaporent in ſiccam maſſam, que vehementi igne per horam calcinetur.

CAPUT XIV.

DE EXTRACTIS.

§. I.

EXTRACTA PROPRIE DICTA.

EXTRACTUM ABSINTHII.

℞ Abſinthii recentis contuſi . . . . libras octo:
In cucurbitam capitello munitam immitte, ac triduo macerari ſinito: poſtea M. B. duas circiter Aquæ uncias elice, quam ſerva. Eidem Abſinthio affundatur Aquæ communis triplum, & facta per horas ſex digeſtione, bulliant ad tertiæ partis conſumptionem: Liquor deinde exprimatur: Ovi Albumine clarificetur, & panno trajectus M. B ad conſiſtentiam craſſi Electuarii evaporet; quo tepefacto permiſceatur Aqua diſtillata, & in fictile obturato ſervetur Extractum.

Similiter parantur Extracta
Herbarum Cherefolii,
Chamæpitys,
Cochleariæ,
Meliſſæ,

Naſtur-

Nasturtii aquatici,
Scordii,
Florum Chamæmeli,
Sambuci,
Tanaceti,
Radicum Helenii,
Valerianæ, &c.

EXTRACTUM CENTAURII MINORIS.

Inciso, & contuso Centaurio affundatur Aquæ ferventis triplum, in qua maceratio fiat per diem, & noctem: postea bulliant ad medias: tum Liquor expressus, & clarificatus in fictile percoquatur ad formam Extracti.

Juxta eandem normam parentur Extracta
Herbarum Chamædrys,
Trifolii fibrini, &c.
Florum Papaveris erratici, & simil.

EXTRACTUM CROCI.

Croci libra una cucurbitæ vitreæ indatur, & M.B. semuncia circiter Aquæ eliciatur, quæ servanda est: tum Croco Aquæ communis libras quatuor affunde: per duodecim horas digere, & Aquam bene saturam defunde, recentem toties addendo, ac digerendo, donec ea intingi desinat. Tincturæ omnes una commistæ percolentur, & in crassum extractum evaporent, cui tepefacto ea immisceatur Aqua, quam initio servandam esse diximus.

EXTRACTUM SENNÆ.

Folia Sennæ mundata in Aquæ ferventis decuplo per horas aliquot macerentur. Poſt brevem ebullitionem tinctus Liquor exprimatur, & clarificetur: tum panno percolatus in Extractum evaporet. Doſis a ſcrupulo uno ad ſcrupulos duos.

Eodem modo parantur Extracta ex Herbis ſiccis inodoris.

EXTRACTUM RADICIS GENTIANÆ.

℞ Radicis Gentianæ ſiccatæ, & contuſæ . . . . libras quatuor,
Aquæ communis . . . libras quadraginta:

Trium dierum ſpatio macerentur: deinde bulliant ad tertiæ partis exhalationem: prælo Liquor expreſſus Ovi Albumine agitato clarificetur: panno trajectus in fictile decoquatur ad conſiſtentiam Extracti.

Sic fieri poſſunt Extracta
Radicis Liquiritiæ,
Pæoniæ,
Sarſæ parillæ,
Tormentillæ, & ſimilium.

EXTRACTUM MECHOACANNÆ.

℞ Mechoacannæ . . . . . libram unam;
Spiritus Vini rectificati,
Vini albi . . . . ana libras ſex;

Inciſam Mechoacannam matracio inde: Vini Spiritum ſuperfunde, ac diebus quindecim macerari per-

permitte: tum fortiter exprime, & Spiritum tinctum in vase repone: postea superstiti Mechoacannæ Vinum adjice: triduo digere, & exprime. Tincturas seorsum panno percolatas commisce, atque ex cucurbita M. B. distilla ad totum Vini Spiritum abstrahendum. Remoto tandem excipulo, & capitello in crassitudinem Electuarii per evaporationem redige.

Dosis a scrupulo uno ad scrupulos duos.

Eadem est præparandi ratio; & dosis Extracti Agarici.

EXTRACTUM RHABARBARI.

℞ Rhabarbari concisi . . . . libram unam,
Spiritus Vini rectificati,
Aquæ communis . . . . ana libras sex:

In Vini Spiritu dies octo macerari sine, identidem vas agitando: Spiritum tinctum exprime; tum Aqua Magmati adjecta M. B. triduum digere: per horæ dimidium bulliant: postea exprime, & cola. Tincturæ separatim percolatæ in cucurbitam effundantur, & imposito capitello M. B. Vini Spiritus evocetur: deinde evaporent ad justam Extracti consistentiam.

Similiter parentur Extracta
Chinachinæ,
Ligni Guajaci,
Visci Quercini,
Opii, quod exhibetur a grano dimidio, ad granum unum,
Radicis Peucedani.

N. Chinachinæ Extractum diutius evaporando in formam ſiccam redigitur, ac Magiſterium a nonnullis appellatur, quod alii adhibito ſolum Vini Spiritu conficere ſolent.

§. II.

SUCCI HERBARUM CONCRETI.

SUCCUS CONCRETUS ACETOSELLÆ.

ACetoſellæ Succus depurgatus in vaſe vitreato vaporet M. B. in Electuarii mollis conſiſtentiam.

Sic parentur Succi concreti
Beccabungæ,
Cardui benedicti,
Cichorii,
Chelidonii minoris,
Fumariæ, &c.

§. III.

R O B.

ACACIA NOSTRAS.

SUccus e prunis ſilveſtribus maturitati proximis expreſſus, & percolatus in fictile vitreato vaporet M. B. ad Electuarii ſpiſſitudinem.

Eodem

Eodem modo condensetur in speciem Extracti
Succus e Baccis maturis
Ebuli,
Sambuci;
Similiterque paretur ex Fructibus Cucumeris agrestis Elaterium, cujus dosis a granis tribus ad sex.

ROB BACCARUM JUNIPERI.

Baccæ Juniperi mundatæ, & contusæ in Aquæ decuplo macerentur per dies tres: deinde ex alembico, cui appositum sit capitellum cum refrigeratorio, distillentur usque dum Oleum essentiale una cum Aqua prodire desinat, quod ab ea per infundibulum separatum serva: tum superstes materia prælo exprimatur. Elicitus Liquor per pannum trajectus in patella vitreata evaporet in Extractum, cui Oleum essentiale, quod asservatum fuit, accurate admisceatur.

SAPA VINI.

Mustum ex uvis maturis expressum, & percolatum in fictile vaporet leni igne ad Syrupi consistentiam.



§. IV.

§. IV.

RESINÆ.

RESINA JALAPPÆ.

℞ Radicis Jalappæ contusæ ..... libram unam ;
Spiritus Vini alcoholisati ..... libras octo :

In lagena vitrea optime clausa per dies quindecim fiat maceratio, deinde calente M.B. per diem unum, alterumve digestio. Refrigeratis vasis defundatur cum expressione Liquor tinctus, & panno percoletur : tum cucurbitæ vitreæ inditus, apposito capitello eatenus eliciatur, ut Extractum remaneat instar liquidæ Terebinthinæ; quod Aqua prius immersum, & ablutum tepido loco exsiccetur. Dosis a granis decem ad quindecim.

Simili modo extrahi possunt Resinæ
Mechoacannæ, cujus dosis a granis quindecim ad viginti ;

Scammonii) quorum dosis a granis octo
Turpethi) ad duodecim.



CA-

CAPUT XV.

DE TINCTURIS,

Et quibusdam id genus Balsamis, atque Elixiriis.

§. I.

TINCTURÆ.

TINCTURA ALOES.

℞ Aloes Epaticæ . . . . . . uncias duas;
Spiritus Vini rectificati. . . . . . libram unam:

In matracio rite clauso supra tepentem arenam triduo digere: Spiritum tinctum percola, & ad usum serva.

Juxta eandem normam eliciatur Tinctura
Benzoini,
Hieræ,
Ligni, & Gummi Guajaci,
Sanguinis Draconis,
Sarcocollæ.

TINCTURA ANTIMONII.

℞ Antimonii Hungarici pulverati . . . . libram unam;
Liquoris Nitri fixi . . . . uncias octo:

In vitreo vase obturato, identidem commovendo, tandiu maneant, donec Liquoris saturatus color sit: tum is una cum Antimonio igne lenissimo in massam siccam evaporet.

℞ Hujus massæ pulveratæ . . . . . quantum vis,
Spiritus Vini alcoholisati . . . . . duplum:
In vasculo vitreo digerantur horæ spatio: postea Tintura per chartam trajiciatur.

TINCTURA CASTOREI.

℞ Castorei Russiensis . . . . uncias duas,
Liquoris Nitri fixi . . . . . semunciam,
Spiritus Vini alcoholisati . . . . libram unam:
In vas circulatorium immisso Castoreo Nitri Liquorem affunde: adde post horas aliquot Vini Spiritum, & commissuris obstructis triduo digere. Refrigerato vase Spiritum per inclinationem defunde, & charta percolatum ex cucurbita vitrea ad tertias M. B. distilla: Liquor tinctus in cucurbitæ fundo remanens asservetur in vitreo vase. Porro distillatum Spiritum residuo Castoreo rursus affunde: digere: exprime: secretoque Nitri Liquore per chartam trajice: trajectum hunc Spiritum cum altero, qui asservatus fuit, commisce, & in ampulla vitrea accurate occlusa reconde.

Simili modo parabis Tincturam
Myrrhæ,
Succini.

TINCTURA CROCI.

℞ Croci forfice incisi . . . . . uncias duas,
Spiritus Vini rectificati,

Aquæ

Aquæ communis . . . . ana uncias ſex:
Extrahatur Tinctura, ut artis eſt.

TINCTURA HÆMATITIS.

℞ Florum Salis Ammoniaci cum lapide Hæmatite tribus Cohobiis ſublimatorum . . . . . unciam unam, & ſemis;
Spiritus Vini alcoholiſati . . . uncias ſex:
Digerantur in matracio, uſque dum Spiritus aureo colore intinctus ſit.

TINCTURA LACCÆ.

℞ Gummi Laccæ in ramulis puri, & contuſi . . . . uncias duas,
Aluminis uſti pulverati.... drachmam unam, & ſemis,
Spiritus Cochleariæ . . . . . . libram unam,
In vaſe circulatorio digerantur, uſque dum Tinctura impenſe rubeat: tum refrigerata percoletur, & in vitreo vaſe optime clauſo aſſervetur.

N. Aquæ etiam diſtillatæ ad Tincturam Laccæ ſimili modo extrahendam adhibentur.

TINCTURA MARTIS IN SUCCO COCHLEARIÆ.

℞ Cochleariæ in aurora collectæ, & minutim inciſæ . . . . libras octo;

Cucurbitæ ſtanneæ capitello munitæ indatur, & M B. eliciatur Aqua ad uncias ſex, quæ ſervetur: deinde ex cucurbita Cochlearia exempta tundatur in mortario marmoreo, præloque exprimatur Succus, in quo triduum digeratur ſcobis ferri rubiginoſæ ... ad uncias octo. Facta digeſtione in olla ferrea leniter coque ad medias: cola, & iterum lento igni trade, ut evaporet in conſiſtentiam Electuarii, cui demum Aquam prius elicitam diligenter admiſce. Tincturam habes in vaſe vitreo bene obturato ſervandam.

Eodem modo parantur Tincturæ Martis
in Succo Abſinthii,
Naſturtii, &c.

TINCTURA MARTIS IN SUCCO POMORUM.

℞ Scobis ferri rubiginoſæ . . . libram unam,
Succi Pomorum curtipendulorum ... libras octo:

In olla ferrea ſupra cineres calidos per triduum digeſtio fiat: tum ad medias evaporatio. Tinctura percolata ad Syrupi conſiſtentiam exhalet.

Similiter extrahendæ Tincturæ Martis
cum Succo Acetoſellæ,
Fumariæ, &c.

Item cum Vino.

N. Hæ Martiales Tincturæ per evaporationem in Extractum redigi poſſunt.



TINCTURA MARTIS CUM TARTARO.

℞ Scobis Ferri rubiginosæ . . . . . libram unam,
Tartari albi pulverati . . . . . libras duas,
Aquæ pluvialis . . . . . . libras triginta:

In vase ferreo amplo ad horas duodecim lente bulliant: spatha ferrea identidem agita, & sensim adde Aquam ferventem loco ejus, quæ in vaporem abierit. Peracta ebullitione quiescat materia, & subsidat: tum supernatans niger Liquor charta trajiciatur, & ad Syrupi consistentiam evaporet.

TINCTURA SALIS TARTARI.

℞ Salis Tartari . . . . . . libram unam,
Spiritus Vini alcoholisati.. libram unam, & semis:

Tartari Salem in crucibulo cooperto calcina igne vehementi, donec rubellus evaserit: tum exime: in mortario calefacto tere, & adhuc tepentem pulverem pone in matracio, affusoque Vini Spiritu vas obstrue: lenissimo arenæ igne tandiu digere, dum Liquor valde rubeat. Refrigerato vase Tincturam defunde: per chartam trajice, & in vitreo vase obturato asserva.

TINCTURA SULPHURIS;

V. Balsamum Sulphuris cum Vini Spiritu.

TINCTURA ABSINTHII.

℞ Summitatum Absinthii vulgaris floridi incisarum . . . . . . uncias sex,

Spiri-

Spiritus Vini alcoholisati . . . libram unam:

In cucurbita vitrea duodecim horarum spatio macerari sine: tum M. B. fere ad siccitatem distilla. In Liquore distillato infunde

Summitatum Absinthii Pontici tenuifolii exsiccati . . . . . . semunciam,
Caryophyllorum . . . . drachmas duas,
Salis Tartari . . . . drachmas tres,
Ambari cineracei pulverati . . . drachmam unam:

Ambarum Sali Tartari in mortariolo lapideo admisce: cum cæteris in vitreo vase circulatorio digere, donec Liquor bene saturatus sit, qui charta percoletur.

TINCTURA ANODYNA, SIVE LAUDANUM LIQUIDUM.

℞ Opii . . . . semunciam,
Croci . . . . drachmas duas,
Cinnamomi,
Caryophyllorum . . . . ana drachmam semis,
Vini malvatici . . . uncias quatuor cum dimidia:

Digerantur octo fere diebus in vitreo vase bene clauso identidem agitando. Tinctura expressa, & percolata servetur. Dosis a guttis quinque ad quindecim.

TINCTURA CÆPHALICA.

℞ Florum recentium Lilii Convallium . . . uncias sex,
Stœchadis Arabicæ . . . . unciam unam,
Spiritus Cerasorum nigrorum rectificati . . . . libram unam;

In-

Infunde, & digere per horas ſex in matracio vitreo optime clauſo, cui poſtea capitellum adjice, & M. B. Spiritum evoca, in quo iterum infunde, & triduo digere

Succini albi præparati . . . unciam unam,
Cubebarum . . . . drachmas tres:

Liquorem exprime, per chartam trajice, & in vaſe vitreo recondc.

§. II.

TINCTURÆ, QUÆ BALSAMA SOLENT APPELLARI.

BALSAMUM SULPHURIS.

℞ Florum Sulphuris . . . unciam unam, & ſemis;
Olei Nucum Juglandium . . . . . uncias ſex:

Digerantur, donec Oleum bene ſaturatum ſit: tum cola.

Sic paratur Balſamum Sulphuris
cum Oleis expreſſis
Aniſorum,
Olivarum,
Itemque cum Balſamo Copaiba, & cum
Oleo craſſo Succini,
Terebinthinæ, &c.

BALSAMUM SULPHURIS CUM VINI SPIRITU.

℞ Florum Sulphuris . . . . uncias quatuor;
Salis Tartari . . . . uncias duas:

In

In mortario marmoreo commiſceantur: tum indita crucibulo liquefiant, & liquata maneant, donec fuſa materia ſpadiceum colorem æmuletur. Hanc ſupra lapidem illitum effunde: frigefactam tere, pone in matracio, & adjice

Spiritus Vini alcoholiſati . . . . libram unam:

Digere, quoad rubicundum colorem ſaturum Liquor adeptus ſit, qui tum percolandus.

Eadem ratio eſt conficiendi Balſamum Sulphuris
cum Oleo eſſentiali Aniſorum,
Fœniculi,
Terebinthinæ,
& cum Oleo claro Succini.

BALSAMUM CATHOLICUM EX VINO, VULGO BALSAMUM INNOCENTIANUM.

℞ Benzoini . . . . uncias tres,
Styracis Calamitæ . . . . uncis duas,
Balſami Peruviani ſicci . . . unciam unam,
Aloes Soccotrinæ,
Myrrhæ,
Olibani,
Radicis Angelicæ odoratæ . . . ana ſemunciam,
Florum Hyperici ſiccatorum manipulos quatuor,
Vini rubri . . . . libras quatuor:

Hyperici Floribus, & Angelicæ Radicibus in lagena vitrea poſitis Vinum ſuperfunde; quo bene obturato vaſe digeſtio per triduum fiat: poſtea Liquorem refri-

gera-

geratum exprime : in eo cætera contuſa per dies quindecim digere, materiam ſæpe agitando. Tandem cola, & ad uſum ſerva.

IDEM BALSAMUM CUM VINI SPIRITU.

℞ Magma ex præparatione Balſami Catholici in Vino facta rite ſiccatum,
Radicis Angelicæ odoratæ . . . . ſemunciam,
Florum Hyperici ſiccatorum . . . unciam unam,
Spiritus Vini alcoholiſati . . . . libras quatuor:
In vaſe diligenter occluſo identidem agitando per dies octo digere : poſtquam fæces ſubſiderint, Liquorem percola, & in vitreo vaſe repone ſubere, & veſica obturando.

§. III.

ELIXIRIA.

ELIXIR BEZOARDICUM.

℞ Radicis Contrayervæ Hiſpanicæ,
Serpentariæ Virginianæ,
Summitatum Abſinthii Alpini,
Croci . . . . ana drachmas duas,
Opii . . . . drachmam unam:
His omnibus inciſis affunde
Spiritus Vini rectificati,
Spiritus Baccarum Sambuci.. ana uncias quatuor:
Triduo digere in vaſe circulatorio : tum per char-

tam trajice Liquorem, in quo dissolve
Camphoræ . . . . . . drachmam unam:
Tandem in ampullis vitreis optime clausis repone. Datur ad triginta circiter guttas.

ELIXIR PROPRIETATIS CUM ACIDO.

℞ Aloes Soccotrinæ,
Myrrhæ electæ,
Croci . . . . ana unciam unam;
Spiritus Sulphuris . . . . . semunciam,
Spiritus Vini alcoholisati.. libram unam, & semis:

Aloe, & Myrrha in subtilem pulverem terantur: Crocus forfice incidatur. His in vase circulatorio vitreo positis, affusoque Vini, & Sulphuris Spiritu per octo dies digestio fiat. Tincturam decanta, & per chartam cola: inde in cucurbitam vitream, atque in igne lenissimo ad uncias circiter decem Spiritum abstrahe, Tincturamque in cucurbitæ fundo remanentem sepone. Elicitum Spiritum magmati affunde, & diebus octo digere: postea Liquorem exprime, cola, & cum priore Tinctura asservata commistum in vitreis ampullis repone subere, & vesica obturandis.

ELIXIR PROPRIETATIS SINE ACIDO.

Hujus parandi ratio a superiore tantum differt, quod loco Spiritus Sulphuris adhibetur Nitri fixi Liquor, quo Myrrha pulverata perfecte saturanda, & in pultem redigenda est, dein calore mitissimo siccanda.

ELI-

ELIXIR VITÆ.

℞ Corticis Citri recenter derasi . . . . uncias sex,
Summitatum Melissæ . . . manipulos tres,
Spiritus Vini rectificati . . . . . libram unam:

In cucurbita vitrea viginti quatuor horis digere: postea aptato capitello ad siccitatem fere M. B. distilla.

In Spiritu prolecto infunde
Radicis Acori incisi,
Angelicæ odoratæ,
Zedoariæ,
Croci,
Cinnamomi . . . . . ana drachmas duas:

Per dies tres digestione facta M. B. Spiritum elice, in quo rursus infunde, ac triduo digere

Novi Corticis Citri derasi . . . uncias tres,
Vanillæ . . . . semunciam:

Tandem exprime, & per chartam cola.

CAPUT XVI.

DE CALCINATIS.

ÆRUGO, SIVE ÆS VIRIDE.

ÆRis laminæ cum Vinaceis expressis stratificentur: tum per intervalla pauculo Aceto, vel Urina aspergantur. Sic maneant usque dum Æruginem contraxerint: qua cultro abrasa iterum stratificatio fiat. Cum Æruginem omnem collegeris, Aceti Spiritu dissolve, cola, & per evaporationem sicca.

ÆS USTUM.

Ex citrino Sulphure, & Cupri-laminis in vaſe figulino fiat ſtratum ſupra ſtratum, ita ut ſummum pariter, atque infimum ex Sulphure ſtratum ſit: deinde vaſe inter accenſos carbones collocato ignis augeatur ad Sulphuris deflagrationem. Remanens materia ſi facile pulverari nequeat, novo Sulphure adjecto iterum calcinetur: tum Aqua calida ablutus Pulvis ſiccetur.

ALUMEN USTUM.

In terreo vaſe tandiu calcinetur Alumen, dum totum deferbuerit, & poroſum penitus, ac veluti ſpongioſum evaſerit.

ANTIMONIUM DIAPHORETICUM.

℞ Antimonii Hungarici . . . libram unam;
Nitri purificati. . . . . libras tres:

In ſubtilem pulverem ſeparatim tere: tum ſimul permiſta in ollam candentem iteratis vicibus projice: cum detonuerint, ad horæ dimidium igne valido calcina: ſpatha ferrea materiam ſæpe revolve, ut æque omnis conflagrare poſſit: indeque eam adhuc calidam exime: in Aquam ferventem injice: agita, & Aquam albidam in fictile vitreatum effunde: poſt aliam pariter calidam reſiduæ materiæ ſuperadde, agita, & per inclinationem defunde, donec clara maneat, & fæces dumtaxat ſuperſint. Aquas omnes effuſas, ac turbidas per telam

laxam

laxam transmitte in vas idoneum. Brevi subsidebit Pulvis, qui sæpius fervente Aqua abluendus, dum omnino fiat insipidus. Demum supra chartam bibulam in calido loco exsiccetur, & in vitreo vase angusti orificii rite occluso asservetur.

ANTIMONII HEPAR.

℞ Antimonii pulverati,
Nitri puri . . . . ana partes æquales:

Mista simul, atque ollæ ferreæ indita candente carbone admoto detonent: olla frigefiat: tum a scoriis partim subnigris, partim cineraceis Hepar separetur.

N. Hoc pulveratum Aqua calente bis terque abluitur, qua per inclinationem effusa, Pulvis siccatur. Hepati per lotiones ita præparato Croci Metallorum nomen impositum est; quo tantummodo ad conficiendum sive Tartarum, sive Vinum Emeticum utimur.

ANTIMONII REGULUS.

℞ Antimonii Hungarici . . . . uncias sexdecim;
Tartari crudi . . . . libram unam,
Nitri puri . . . . uncias sex:

Pulverata, & commista in crucibulum candens per partes injiciantur: cum detonuerit, ignis augeatur, ut materia liquescat, & in modum Olei bulliat: tum effundatur in conum fusorium calefactum, & sebo illitum, coni latera concutiendo, ut Regulus fundum petat. Frigefacto cono Regulum a scoriis separa: in Pulverem te-

re:

re: in alio crucibulo semel, atque iterum liqua, paullulum Nitri addendo; tum in conum effunde, & a scoriis separatum Regulum serva.

ANTIMONII REGULUS MARTIALIS.

℞ Apicum Clavorum . . . . librам unam;
Antimonii Hungarici triti .. libram unam, & semis,
Nitri pulverati . . . . uncias sex:

Clavorum apices in crucibulo ignescant: deinde Antimonium injice: cum liquari materia cœperit, Nitrum sensim insperge, quo prorsus ea liquetur: tum eandem fusam in ferreum conum calefactum, & inunctum effunde. Refrigeratum Regulum a scoriis separa: iterum tere, additaque

Antimonii pulverati . . . uncia una, vel altera, in crucibulo liqua. Hisce optime liquatis paulatim adjice

Nitri pulverati . . . . . . uncias quatuor:

Injecto Nitro ignis assidue urgeatur, donec Nitrum, & Regulus instar Aquæ fluant; in quo statu ad horæ quadrantem permaneant: postea in conum effundantur, eoque inconcusso refrigescant: tum Regulus a subviridi scoria sejungatur, & ad usum servetur.

ANTIMONII CERUSSA.

Pulveratus Antimonii Regulus triplo Nitri admistus detonet: tum per horæ quadrantem calcinetur, abluatur, & supra chartam siccetur.

ANTI-

ANTIMONII CERUSSA MARTIALIS, VULGO SPECIFICUM STOMACHICUM.

℞ Reguli Antimonii Martialis . . . libram unam,
Nitri purificati . . . . libras tres:

In tenuissimum pulverem separatim trita, dein commista in candentem ollam ex cochleari per partes projiciantur: detonent: tum per quartam horæ partem urgeatur ignis, ut materia in calcem albam redigatur. Calx adhuc calens in Aquam ferventem injiciatur, novaque Aqua calente tandiu abluatur, donec insipida sit: denique supra chartam exsiccetur.

ANTIMONII CERUSSA JOVIALIS, VULGO ANTIHECTICUM POTERII.

℞ Reguli Antimonii Martialis,
Stanni Anglici . . . . . . ana uncias sex,
Nitri purgati . . . . libras tres:

Regulus, & Stannum in crucibulo simul liquentur: postea in conum fusorium calefactum, & inunctum effundantur: frigefiant: tum Regulum refrigeratum a scoriis separa: in tenuissimum pulverem redige, & Nitro pulverato commisce. Mista in crucibulum candens paulatim immitte: detonent: mox igne vehementi calcinentur, donec abeant in massam cæruleam, quam adhuc calidam Aqua fervente semel, & sæpius ablue, & sicca, uti de Antimonio diaphoretico dictum est.

CRO-

CROCUS MARTIS APERIENS CUM SULPHURE.

℞ Scobis Ferri . . . . libram unam;
Sulphuris citrini pulverati . . . libras duas:
Mista simul in olla terrea calcinentur, & spatha ferrea sæpe revolvantur, ut totum Sulphur deflagret: tum ferreus Pulvis subrubeus abluatur, & lævigetur.

CROCUS MARTIS ASTRINGENS.

Rubiginosam Ferri Scobem in patella terrea igni adeo vehementi committe, ut assurgens flamma eam quoquoversus attingat; ac tandiu calcina, donec rubescat: tum Aceto Vini acerrimo ablue, & in pulverem tenuissimum læviga.

MAGNESIA ALBA.

Residuus a Nitri crystallisatione Liquor in olla terrea ad siccitatem evaporet modico igne, qui postea augeatur, ut materia liquescat: tum hæc in fictile Aqua fervente semiplenum effundatur: subsidebit Pulvis albus, quem iteratis lotionibus edulcatum in calido loco siccare, postremo reverberare oportet.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER ITA DICTUS.

℞ Mercurii per corium trajecti . . . . uncias duas;
Spi-

Spiritus Nitri . . . . . . uncias tres:
Retortæ vitreæ indito Mercurio Spiritum Nitri sensim affunde, lenique igne arenæ digere, donec Mercurius omnino dissolutus sit: tum adjecto excipulo, atque igne per gradus adaucto ad siccitatem distilla, & ad splendentem ruborem calcina.


PLUMBUM USTUM.

℞ Laminarum Plumbi,
Sulphuris Citrini pulverati. . . . ana quantum vis:
In olla terrea stratum supra stratum construatur: tum vehementi igne Sulphur deflagret. Ustum Plumbum, & denigratum manebit in testæ fundo, quod optime abluendum est, & lævigandum.

VITRIOLUM CALCINATUM.

Pone Vitriolum viride in olla fictili non vitreata, & supra ignem lenem detine, usque dum coeat in massam albidam, & prope cineraceam. Quod si ignem valde urgeas, rubrum induet colorem: Colcothar vocant.

N. Aqua calente infunde Colcothar: dein fervefacito: tum decanta; idque nova Aqua affusa tandiu repete, donec ea insipida maneat. Superstitem materiam sicca, quæ Terra dulcis Vitrioli appellatur.



CAPUT XVII.

DE PRÆCIPITATIS.

AURUM FULMINANS.

℞ Scobis Auri puriſſimi . . . drachmas duas;
Aquæ Regiæ . . . . . . unciam unam:

In cucurbitulam vitream inde Auri Scobem: Aquam Regiam ſenſim adjice: digeſtio fiat calore leni ad Auri totius diſſolutionem: tum Aquæ communis ſextuplum affunde: poſtea Oleum Tartari per deliquium q. ſ. inſtilla: ſine Liquorem quieſcere: ſubflavus Pulvis præcipitabitur, qui ſæpius repetita Aquæ affuſione edulcatus ſupra chartam in umbra ſiccetur.

Doſis a grano uno ad quatuor.

SULPHUR AURATUM ANTIMONII.

Reguli Antimonii Scoriæ fictili vitreato inditæ in Aqua bulliant: ſolutioni per chartam trajectæ Acetum acerrimum affunde: præcipitabitur Pulvis ex flavo rubei coloris, Aqua tepida multoties abluendus, tum ſupra chartam ſiccandus. Doſis a granis duobus ad ſex.

KERMES MINERALE.

℞ Antimonii Hungarici confracti rejecto
pulvere . . . . libras ſex;
Nitri fixi . . . . libram unam, & ſemis,

Aquæ

Aquæ pluvialis . . . . . libras duodecim:

In olla terrea vitreata triduo digerantur: dein lento igne bulliant: tum quatuor circiter libras fervidi Liquoris decanta, & colo chartaceo trajice, cui amplum vas figulinum suppositum sit. Liquori una cum Antimonio in olla superstiti adjice

Aquæ pluvialis ferventis . . . libras octo,

Nitri fixi . . . . libram unam, & semis:

Leni igne ad medias decoque; defusique, ut antea, Liquoris calidissimi libras tres per chartam cola; superstiti affunde

Pluvialis Aquæ ferventis . . . libras octo,

Nitri fixi . . . . libram unam:

Coque iterum ad medias, & totum Liquorem calidissimum percola: omnes deinde simul misti Liquores quiescant, donec Pulvis ruber subsidat: tum decanta, ad siccitatem evapora, & Nitrum fixum serva. Pulverem rubrum Aqua sæpius ablue, & in fictile ad calorem lenissimum sicca. Huic affunde Vini Spiritum alcoholisatum, qui deflagret; idque semel atque iterum repete; tum in vitreo vase bene clauso Pulverem repone. Dosis a granis duobus ad quatuor.

MAGISTERIUM SULPHURIS.

℞ Sulphuris citrini pulverati . . . libram unam,

Calcis vivæ . . . . libras tres,

Aquæ communis . . . . . libras viginti:

In fictili vase, quantum satis, bulliant, ut rubro colore saturetur Aqua, cui per chartam trajectæ affunda-

tur solutio Aluminis purificati. Turbidus fiet Liquor, & lacteus; idcirco Lac Sulphuris appellatus. Nihil interea movendum; sponte enim præcipitabitur Pulvis albus, quem Aqua calente edulca, postea sicca.

MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS.

℞ Mercurii per distillationem purificati .. uncias duas,
Aquæ fortis . . . . uncias tres:

In Aqua forti solvatur Mercurius, tum effundatur in fictile vitreatum, quod Aqua marino Sale puro saturata semiplenum sit. Post aliquot dies albus Pulvis subsidebit, Aqua tepida edulcandus, & supra chartam in hypocausto siccandus.

CAPUT XVIII.

DE SUBLIMATIS.

FLORES ANTIMONII MARTIALES, VULGO NIX MARTIS.

℞ Reguli Antimonii Martialis iteratis fusionibus rite expurgati, & pulverati . . . . . libram unam:

In vase figulino, cujus ima pars plana sit, ponatur Regulus, ac desuper scutella parvæ altitudinis in centro perforata intra idem vas ita collocetur, ut Regulum non attingat; præterea operculum vasi aptetur, in quo ipsa etiam inclusa maneat scutella: tum in furno prunis sup-

positis

positis vas constituatur, atque ignis adeo augeatur, ut testæ fundus candeat, & liquetur Regulus. Post horæ spatium cesset ignis, & vasis refrigeratis hærentes hinc, & illinc, atque in ipsa præsertim Reguli superficie nivei, ac splendentes flocculi colligantur: deinde eandem operam toties repete, donec Regulus fere totus in Flores abierit.

FLORES BENZOINI.

Benzoinum contusum, & in cucurbitam inditum vitreo capitello cæco præditam igne arenæ leni sublimetur. Refrigerata cucurbita capitellum amove: Flores collige, & sepone; idque toties repete, donec flavi Flores una cum Oleo attolli incipiant.

FLORES SULPHURIS.

Citrini Sulphuris contriti aliquot uncias in cucurbitam terream injice, cui adiecto cæco capitello vitreo, vel potius lignea capsula, sublima igne arenæ, cavendo ne Sulphur liquetur. In capsulam Flores assurgent, qui sæpe amovendi sunt; tum novum Sulphur adhibeto, ut, quam velis, Florum quantitatem obtineas.

FLORES SALIS AMMONIACI.

℞ Salis Ammoniaci,
Salis Marini decrepitati . . . ana partes æquales:
Pulverata, & bene commista in terream cucurbitam humi-

humilem immitte: tum appoſito capitello, & excipulo ſubjiciatur ignis initio lenis, qui poſtmodum per gradus augeatur, uſque dum cucurbitæ fundus candeat. Stillabit primo Spiritus in excipulum: poſt Flores aſcendent, atque hærebunt capitello, & cucurbitæ lateribus. Hi exempti in ampulla vitrea bene obturanda recondantur.

FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES.

℞ Salis Ammoniaci,
Scobis Ferri . . . . . . ana quantum libet:

Facta ad dies tres digeſtione ex cucurbita capitello, & excipulo inſtructa ſublimentur Flores, qui capite mortuo deinde remiſcendi ſunt, & iterum ſublimandi. Flavum Liquorem, quem in excipulo reperies, tanquam Spiritum Salis Ammoniaci Martialis ſerva.

Sic parentur Flores Salis Ammoniaci cum Hæmatite.

CINNABARIS.

℞ Mercurii . . . . libras duas;
Sulphuris Citrini pulverati . . . . libram unam:

In olla terrea ad ignem lenem liquato Sulphure Mercurius è corio ſtillans commiſceatur, piſtillo ligneo continenter verſando, donec perfecte commiſtus ſit, & involutus Sulphure, ut amplius non appareat. Tunc refrigeratam Maſſam, & in Pulverem redactam mitte in cucurbitam terream, & ſenſim adaucto igne in Cinnabarim ſublima.

N.

N. Si triplo ferreæ Scobis admiſceatur Cinnabaris, atque ex retorta cum excipulo Aqua ſemipleno inſtituatur diſtillatio, iterum prodibit Mercurius, qui propterea redivivus appellatur.

CINNABARIS ANTIMONII.

℞ Antimonii,
Mercurii ſublimati corroſivi ... ana libram unam:
Mercurium ſublimatum tere in mortario marmoreo, & cum Antimonio pulverato commiſce: poſtea ex vitrea loricata retorta, cui aptatum ſit parvulum excipulum, diſtilla, ignem gradibus augendo, uſque dum fumi rubeſcentes apparere incipiant. Habebis Oleum craſſum, ſeu Butyrum Antimonii, quod, ubi in retortæ collo concreverit, carbone ardente admoto fluidum reddes: Id collectum in vaſe vitreo obturato aſſerva: Caput mortuum in aliam retortam immitte: ignem gradatim adhibe, ut evehatur Cinnabaris ad collum retortæ, è qua refrigerata illam exime: in pulverem tere, ablue, ſicca, atque iterum ſublima. Doſis à granis ſex ad duodecim.

MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

℞ Mercurii Aqua forti diſſoluti, & in maſſam ſiccam evaporatione redacti,
Vitrioli ad albedinem ſiccati,
Salis decrepitati . . . ana partes æquales:
In pila marmorea accurate omnia ligneo piſtillo ante

com-

commista in vase idoneo ponantur, cujus media saltem pars vacua relinquatur: tum igne arenæ sensim adaucto sublimatio fiat. Mercurius sublimatus è vasis lateribus detergatur, & solus denuo sublimetur, ut purus, ac pellucidus evadat.

MERCURIUS DULCIS.

℞ Mercurii sublimati corrosivi ... uncias quatuor,
Hydrargyri distillatione purificati... uncias tres:

Mercurium sublimatum in mortario marmoreo contere: deinde Hydrargyrum instilla, pistilloque ligneo agita, & tandiu commisce, dum globuli mercuriales invisibiles sint: tum subnigrum Pulverem pone in ampulla vitrea, cujus dimidia pars vacua maneat, & igne arenæ ad horas sex per gradus adhibito sublimatio fiat. Qua peracta confringe ampullam: a sordibus, & pulvisculo quodam ad ejus collum hærente separa: etiam sexies sublima, vel donec omnino insipidus deprehendatur.

PANACEA MERCURIALIS.

Mercurium dulcem pulveratum, & in ampullam vitream inditum sublima: sublimatum a fæcibus separa, tere, sublima; idque sexies repete: tum lævigata. in matracio pone: Vini Alcohol affunde, quod ad tres digitos emineat, & vas identidem commovendo, diebus octo digere: tum Alcohol accende, cujus deflagratione absolvitur operatio.

CAPUT XIX.

DE OLEIS.

§. I.

OLEA PER EXPRESSIONEM.

OLEUM AMYGDALARUM DULCIUM.

SElectæ Amygdalæ, & rudi tela fricatæ pistillo ligneo contundantur in mortario lapideo, usque dum in massam coeant. Hæc torculo subjecta leviter primum, postea valide comprimatur. Oleum expressum per chartam trajici solet.

Similiter extrahuntur Olea
Amygdalarum amararum,
Avellanarum,
Nucum Juglandium,
Nucleorum Persicorum,
Pini,
Pistaciorum,
Seminum Cannabis,
Cucumeris,
Hyperici,
Lini,
Papaveris albi, &c.

N. Ex Oleis quibusdam recens expressis præsertim Amygdalarum dulcium Gelatina paratur in hunc fere modum:

℞ Olei recens expressi ex Amygdalis
dulcibus . . . . uncias duas;
Amygdalarum dulcium decorticatarum . . . . drachmas tres,
Nucleorum Persicorum . . . drachmam unam,
Sacchari canti . . . . . drachmas duas:

In mortario lapideo cum Nucleis, & Saccharo diligenter Amygdalas tere. Oleum sensim insperge, & subige: tum ijs optime tritis, atque subactis Aquæ semunciam assidue etiam subigendo ad perfectam omnium commistionem instilla.

OLEUM E VITELLIS OVORUM.

Ex Ovis coctione induratis Vitellos exime: in mortario marmoreo tunde: tum in sartagine spatha lignea continenter revolvendo, & parum Vini subinde inspergendo assa, donec rubescere, ac spumare incipiant: tum calentem massam inde in sacculum ex tela cannabina, quam calefactas inter laminas ferreas prælo committe, celeriterque Oleum exprime, & serva.

OLEUM VULGO BUTYRUM DE CACAO.

Cacao fructus pingues, & ponderosi, a cortice mundati, & in lapidea pila contriti in Aqua tandiu bulliant, dum ea omnis absumpta sit: interim spatha assidue revolvantur: his dein sacculo inclusis confestim calido prælo exprimatur Oleum, quod stillet in supposito vase

Aquæ calentis ſemipleno: tum reponatur vas, donec Aqua refrigerata Oleum concreſcat. Hoc autem a ſubjectis ſordibus deterſum in ſole, vel hypocauſto detinendum, ut ſuperfluus humor abſumatur: denique per inclinationem ab alio in aliud vas defundatur, ut magis magiſque a fæcibus depurgetur.

Oleum Nucis Moſchatæ,
Baccarum Lauri,
Macis,
Seminum Aniſi,
Carui,
Fœniculi, &c.

Vide Oleum è Baccis Lauri diſtillatum.

§. II.

PER INFUSIONEM.

OLEUM CASTOREI.

℞ Caſtorei Ruſſienſis . . . . unciam unam;
Liquoris Nitri fixi . . . . unciam ſemis;
Olei Olivarum . . . . . libram unam:

Craſſe contuſo, & in matracium recepto Caſtoreo Nitri Liquorem affunde: poſt horam adde Oleum, inverſaque ampulla matracium obtura: leni calore arenæ triduo digere: tum refrigerato vaſe exprime, cola, & a ſubſidente fæce ſeparatum Oleum in vitreo vaſe bene obturando repone.

OLEUM LUMBRICORUM.

℞ Lumbricorum terreſtrium purgatorum . . . . libram unam,
Olei communis . . . . libras duas:

In duplici vaſe per dies tres digerantur: brevi bulliant: frigefacto vaſe exprimatur Oleum, quod poſtea reſideat: tum a fæcibus per inclinationem ſeparetur.

Similiter parari poſſunt Olea
Formicarum,
Lacertarum viridium, &c.

OLEUM SCORPIONUM SIMPLEX.

℞ Scorpiones vivos . . . . centum;
Olei Amygdalarum amararum . . . libras duas.

In matracium vitreum inditis Scorpionibus affunde Oleum: tum obturato vaſe per dies tres M. B. digere, deinde Oleum exprime, & defæcatum ſerva.

OLEUM ABSINTHII.

℞ Summitatum Abſinthii vulgaris floridi recentium, & inciſarum . . . . . libram unam, & ſemis,
Olei Olivarum . . . . libras tres:

In cucurbitam capitello cæco inſtructam immitte: M. B. biduum digere: frigefacto vaſe Oleum exprime, & cola, in quo recens inciſum Abſinthium infunde, iterum digere, & prælo exprime. Sine expreſſum Oleum quieſcere; poſtea ab humore aquoſo, & a fæcibus ſepara.

Ad

Ad eandem normam parentur Olea
Herbarum Anethi,
Cicutæ,
Menthæ,
Rutæ,
Florum Chamæmeli,
Cheiri,
Iridis,
Lilii albi,
Meliloti,
Rosarum,
Sambuci,
Violarum,
Fructuum Momordicæ.

OLEUM MASTICHES.

℞ Mastiches pulveratæ . . . . . uncias sex;
Olei Olivarum . . . . . . libras duas:
In vase vitreo optime clauso ad perfectam Mastiches dissolutionem fervente balneo digere, tum Oleum cola.
Sic paretur Oleum Euphorbii.

OLEUM LAURINUM.

℞ Foliorum Lauri latifoliæ recentium incisorum . . . . libras tres;
Olei Olivarum, vel Butyri Vaccini . . . libras sex:
In duplici vase per dies tres digere: tum Oleum prælo exprime, in quo infunde

Bac-

Baccarum, & Foliorum Lauri tenui-
foliæ . . . . . . ana libram unam, & semis:

In eodem vase triduo, ut antea, digere: postea exprime: cola, & defæcatum Oleum serva.

OLEUM SCORPIONUM COMPOSITUM.

℞ Olei Hyperici . . . . libras quatuor,
Cymarum Scordii,
Rutæ,
Dictamni Cretici..ana manipulos duos,
Radicis Zedoariæ,
Aristolochiæ rotundæ,
Angelicæ odoratæ,
Croci,
Styracis Calamitæ . . . . . ana unciam unam;
Terebinthinæ . . . . . . uncias tres,
Scorpiones vivos . . . . . . trecentos:

Folia, Radices, Crocum mundata, & incisa in vas circulatorium vitreum immitte: obseratis juncturis M. B. per triduum digere: tum refrigerato balneo Oleum exprime, in quo Terebinthina cum Styrace dissolvenda, vivique Scorpiones suffocandi: agglutinatis iterum commissuris in eodem balneo ad dies tres digere: deinde sinito vas refrigescere: hinc forti expressione Oleum cola, idemque defæcatum in vitro angusti orificii rite occluso reconde.



§. III.

PER COCTIONEM.

OLEUM DE CATELLIS.

℞ Catellos recens natos . . . . numero ſex,
Olei Olivarum . . . . libras ſex,
Vini albi . . . . libras tres:

Coquantur primum Catelli tres donec ab oſſibus ſeparentur carnes, & Vinum abſumptum ſit: facta deinde expreſſione in cucurbitam effundatur Oleum, in quo adhuc fervente tres alii Catelli ſuffocentur, opertaque cucurbita in digeſtione maneant B. M. per integrum diem. Refrigerato balneo exprimatur Oleum a ſubſidente fæce ſeparandum, quod in vaſe vitreo bene obſcurando reponatur.

Eodem modo fiat Oleum Vulpinum.

OLEUM HIRUNDINUM.

℞ Pullos Hirundinis . . . . numero duodecim,
Olei Olivarum . . . . . . libras duas,
Vini . . . . uncias octo:

Primum Hirundines vivæ ſex bulliant in Oleo, & Vino ad carnis liquamen, Vinique evaporationem; tum exprimatur Oleum, in quo vivæ aliæ Hirundines ſex ſuffocentur: poſt levem ebullitionem in vaſe circulatorio refrigeratum Oleum denuo exprimatur, & percoletur.

OLEUM

OLEUM DE CAPPARIBUS.

℞ Florum Capparis, antequam aperiri incipiant,
Corticis Radicis ejus-
dem . . . ana uncias quatuor, & semis,
Olei Olivarum . . . libram unam cum dimidia,
Aceti . . . . uncias sex:
Coque ad humoris evaporationem: tum cola.

OLEUM DE CUCURBITA.

Cucurbitas longas, quarum adhuc tenellus cortex sit, minutim incisas cum æquali pondere Olei communis igne leni decoque q. s.: tum exprime Oleum, in quo ignita ferri frustula extinguantur, vas sine mora obtegendo, ne Oleum flammam concipiat.

OLEUM HYPERICI.

℞ Summitatum Hyperici cum Floribus, & Seminibus
contusarum . . . . . . libram unam,
Olei communis . . . . libras tres:
In fictile per biduum macerentur, deinde bulliant ad humoris exhalationem, factaque expressione adde
Summitatum Hyperici ut supra . . . libram unam:
Vase cooperto digere M. B. viginti horarum spatio, tum exprime Oleum, in quo rursum infunde
Summitatum Hyperici . . . . . libram unam:
Digere iterum M. B. calente donec Oleum rubro colore saturatum sit: denique forti expressione cola, & defæcatum in vitro reconde.

OLEUM

OLEUM MYRTINUM.

℞ Baccarum Myrti contusarum . . . libras duas,
Foliorum ejusdem incisorum . . . manipulos duos,
Olei Olivarum . . . . . . libras quatuor,
Aceti . . . . libram unam:

Coquantur ad humoris consumptionem: tum Oleum percoletur.

OLEUM BUFONUM, SEU BALSAMUM TRANQUILLANS.

℞ Bufones vivos . . . . . . numero duos,
Foliorum incisorum Solani hortensis,
Hyosciami albi,
Mandragoræ,
Nicotianæ,
Ebuli,
Salicis . . . ana manipulos duos,
Olei communis . . . . libras sex:

In fictili vase lente coquantur, & cum evaporatione humor absumptus sit, exprimatur Oleum, in quo infunde

Bufones . . . . numero duos;
Summitatum Absinthii vulgaris,
Calaminthæ montanæ,
Hyssopi,
Majoranæ,

Rutæ,
Thymi ... ana manipulum unum,
Florum Rosmarini,
Salviæ,
Lavendulæ,
Hyperici,
Sambuci . . . . ana manipulum unum:

In cucurbita, cui cæcum capitellum impositum sit, per diem integrum digere M. B. quo deinde refrigerato Oleum exprime, defæca, atque in lagena vitrea reconde.

OLEUM DE MUCILAGINIBUS.

℞ Radicum Althææ,
Lilii albi,
Seminis Fœnugræci . . . ana unciam unam,
Aquæ communis . . . . . . libras duas,
Olei Olivarum,
Lini . . . . . . ana libras duas,

Althææ contusæ, & incisæ, Lilii autem in laminas solutæ Radices, Fœnugræci Semen integrum in Aqua ad mucilaginem extrahendam macerentur: deinde adjectis Oleis, spatha lignea assidue agitando, lente coquantur, donec humor absumptus sit: tum Oleo percolato, & in cucurbitam effuso adde

Florum Lilii albi recentium,
Chamæmeli . . . ana libram unam:

Cæco capitello obstrue cucurbitam, & fervente balneo per diem digere: tum exprime Oleum, cola, & defæcatum serva.

§. IV.

§. IV.

PER DISTILLATIONEM
I. ESSENTIALIA.

OLEUM ABSINTHII.

℞ Summitatum Absinthii ad seminis productionem
accedentis in umbra exsiccatarum,
& contusarum . . . libras viginti quinque,
Salis Marini . . . . libras quatuor:

Ponantur in dolio ligneo, eaque affusa tepentis Aquæ copia, qua Absinthium submergatur, sex dierum spatio macerentur: tum ex campana refrigeratorio instructa per partes distillatio fiat. Stillans Aqua excipiatur in ampulla collo oblongo prædita, & rostro ex ventre illius producto, ex quo scilicet manabit Aqua, remanente Oleo in collo ampullæ.

Simili modo extrahuntur Olea
Herbarum Majoranæ,
Menthæ,
Origani,
Pulegii,
Rosmarini,
Rutæ,
Salviæ,
Thymi,
Florum recentium Mali Aurantiæ,
Chamæmeli,
Lavendulæ,

Radicum Angelicæ odoratæ,
Peucedani,
Valerianæ.

OLEUM CINNAMOMI.

℞ Cinnamomi optimi . . . . . . libras tres,
Aquæ communis . . . . libras viginti quinque,
Salis Marini . . . . , . . . uncias ſex:

In vitrea capaci retorta trinis diebus macerari ſine: tum appoſito excipulo, atque obturatis commiſſuris, igne arenæ tertii gradus ad medias diſtilla, vel donec Liquor non amplius albidus prodeat, quem refrigeratis vaſis in vitreum infundibulum effunde: ſupernatans Oleum ſepara: Aquam reſiduam ad dies quindecim, & ultra in cella repone: ſubſidebit Oleum alterum ab ea ſegregandum, & Oleo primum elicito immiſcendum.

Ad eandem normam diſtillentur Olea
Caryophyllorum,
Saſſafras, & ſimilium.

OLEUM CITRI.

Deraſos Citri Cortices ex cucurbita ſtannea diſtilla M. B., Oleumque ſupernatans ab Aqua per infundibulum ſepara.

Similiter eliciuntur Olea
Aurantiorum,
Citri Florentini odoratiſſimi,
Limonum.

N. Ex Oleis eſſentialibus parari ſolent Elæoſacchara ſequenti modo:

℞ Olei eſſentialis . . . . drachmam unam,
Sacchari Canti in tenuiſſimum pulverem redacti . . . . unciam unam:

In mortariolo vitreo, vel lapideo diligenter commiſceantur: tum Elæoſaccharum in vitreo vaſculo optime clauſo aſſervetur.

OLEUM E BACCIS LAURI.

Baccas Lauri maturas, exſiccatas, & paullum contuſas in Aquæ communis decuplo macera: tum ex campana ad medias diſtilla. Oleum eſſentiale ſupernatans cum per infundibulum ſeparaveris, calidum magma prælo committe, expreſſumque Oleum, ubi inſtar pinguedinis concreverit, collige.

Sic eliciuntur Olea eſſentialia, & expreſſa
Macis,
Nuciſtæ,
Seminum Aniſi,
Carvi,
Fœniculi, &c.

II. EMPYREUMATICA.

OLEUM CERÆ.

℞ Ceræ flavæ . . . . . . libram unam;

Arenæ

Arenæ lotæ, & ſiccatæ . . . libras duas: Ceræ liquatæ arena admiſceatur: tum globuli fiant, qui in vitream retortam loricatam immittantur: ſuppoſito igne primum leni, dein per gradus augendo prodibit Liquor limpidus, mox Oleum inſtar Butyri coagulatum. Hoc ab eo Liquore ſeparatum, & novæ arenæ admiſtum in parvula retorta diſtilletur igne arenæ; idque toties repetatur donec fluidum exſtillet.

OLEUM, VULGO BALSAMUM ECHINI.

Ponantur vivi Erinacei in terrea cucurbita vitreata, cui vitreum capitellum adjectum ſit, atque amplum excipulum. Diſtillatio fiat igne gradatim aucto, donec fumus deſinat. Qui prodierit Liquor cum tertia parte Aceti commiſceatur, & igne leniſſimo ad Balſami liquidi conſiſtentiam exhalet.

OLEUM DE LATERIBUS, SEU OLEUM PHILOSOPHORUM.

Laterum fragmenta candefiant: tum Oleo Olivarum immergantur, ſtatim vas obtegendo, ne Oleum flammam concipiat. Cum horis fere duodecim immerſa fuerint, eximantur, & contrita terreæ capaci retortæ indantur: huic amplum excipulum aptetur, juncturiſque agglutinatis ignis ſuccendatur paulatim augendus, donec retortæ fundus candeat; in quo ignis gradu ad finem uſque diſtillationis inſiſtendum.

OLEUM

OLEUM GUAJACI.

In testacea retorta Ligni Guajaci Scobem distillationi committe. Prodibit primum Liquor clarus, tum igne ad ultimum gradum sensim adaucto exstillabit Oleum subnigrum, & fœtidum, quod a memorato Liquore per infundibulum separabis.

Sic eliciuntur Olea
Ex Ligno Buxi,
Juniperi, & similium.

OLEUM SAPONIS.

Saponi liquato admisce duplum pondus cineris Sarmentorum: deinde ex retorta terrea loricata igne per gradus adaucto distilla. Refrigeratis vasis Oleum a phlegmate separa, & reconde.

OLEUM SUCCINI.

Ex distillatione Salis volatilis, atque Olei clari Succini superstitem materiam pone in retorta terrea, quam igni reverberii ad Oleum crassius extrahendum committe.

OLEUM TEREBINTHINÆ.

Retortæ vitreæ pars fere dimidia impleatur Terebinthina, cui stupa, vel arena admista fuerit; appositoque excipulo igne arenæ distillatio fiat. Præter acidulum phlegma exibit Spiritus, nempe Oleum æthereum, sive essen-

essentiale. Liquor autem exstillans cum rufescere cœperit, mutetur excipulum, ac distillatio producatur, usque dum rufi hujus, crassique Olei nihil amplius prodeat. Utraque Olea rejecto phlegmate seorsum recondantur.

OLEUM CÆRULEUM CHAMÆMELI COMPOSITUM.

℞ Florum Chamæmeli recentium petalis, seu foliis eorum decidentibus collectorum ... libras viginti,
Aquæ communis . . . . quadruplum,
Petrolei . . . . libram unam:

In figulino vase cooperto per dies duodecim maceratio fiat: tum ex campana refrigeratorio instructa distilla, donec totum Oleum cæruleum elicitum sit.

CAPUT XX.

DE UNGUENTIS.

UNGUENTUM AD AMBUSTA.

℞ Mediani Corticis Sambuci . . . uncias sex,
Foliorum Lilii albi,
Hyosciami albi,
Cucurbitæ . . . ana manipulos duos,
Olei Olivarum . . . . . . libras tres:

In fictile supra cineres calidos biduo digerantur: paulisper bulliant: tum exprimatur Oleum, in quo defæcato dissolvantur

Ceræ

Ceræ albæ . . . . unciæ novem:
Fiat Unguentum.

UNGUENTUM AD HÆMORRHOIDES.

℞ Radicis Scrophulariæ recentis . . . uncias tres,
Foliorum Hyoſciami albi . . . manipulos tres,
Butyri Vaccini . . . libram unam cum dimidia,
Lithargyri præparati . . . . uncias duas,
Vitellos Ovorum . . . . . . numero tres:

Radices, & Folia contuſa cum Butyro lente bulliant ad humoris conſumptionem: poſtea exprime, cola, & adde Lithargyrum: piſtillo aſſidue agita, donec Unguentum refrigeſcat: tandem adjice Ovorum Vitellos, & accurate commiſce.

UNGUENTUM AD RACHITIDEM.

℞ Summitatum Serpylli,
Chamæpitys,
Rutæ,
Calaminthæ montanæ,
Florum Sambuci,
Lavendulæ . . . . ana manipulos duos,
Axungiæ Suillæ . . . . libras tres,
Sebi Cervini . . . libram unam, & ſemis,
Olei expreſſi e Baccis Lauri . . . . uncias ſex:

Comminutis Herbis, & Floribus, cucurbitæque inditis, adipes liquatos affunde: tum cucurbita operculata M. B. per triduum digere: hinc adhuc calentes præ-

lo exprime: cola: additoque Oleo Laurino refrigescere sinito: defæca, & in vase reconde.

UNGUENTUM AD SCABIEM.

℞ Olei Laurini . . . . libras duas,
Ceræ albæ . . . . uncias quatuor,
Florum Sulphuris . . . . uncias quinque,
Radicis Rumicis recentis . . . . . . uncias sex:

Rumicis Radix in Aqua ad pultis formam decocta, tum setaceo transmissa ad humoris superflui consumptionem igne leni evaporet: Cera, & Oleum simul liquefiant, quibus tepentibus Rumicis Pulpam, dein Sulphuris Flores adde, continenter omnia immiscendo.

UNGUENTUM ÆGYPTIACUM.

℞ Viridis Æris pulverati . . . . . uncias quinque,
Mellis colati . . . . . . uncias sexdecim,
Aceti acerrimi . . . . . . uncias septem,
Aluminis usti . . . . . . unciam semis:

Lente bulliant, & assidua agitatione redigantur ad justam Unguenti consistentiam.

UNGUENTUM AGRIPPÆ.

℞ Succorum Radicis Bryoniæ . . . . . libras tres,
Cucumeris agrestis libras duas,
Radicum Scillæ,
Iridis nostratis,

Fili-

Filicis maris . . . . ana uncias ſex,
Olei de Mucilaginibus . . . . libras quatuor,
Ceræ albæ . . . . . . uncias quindecim:

Radices minutim inciſæ per duodecim horas in Succis macerentur: bulliant: cum expreſſione colentur: poſtea in molle Extractum, igne leni, aſſidue agitando evaporent. Cera in Oleo liquefiat; quibus tepefactis (vaſe ab igne remoto) paulatim adjice Extractum, & continenter movendo commiſce in Unguenti formam.

UNGUENTUM ALBUM, SEU DE CERUSSA.

℞ Ceræ albæ . . . . uncias tres,
Olei roſati . . . . libram unam:
Cera in Oleo liquetur; tum adde
Ceruſſæ pulveratæ . . . . . uncias quatuor:

Piſtillo ligneo indeſinenter agita, donec refrixerint.

Simili modo paretur UNGUENTUM DE MINIO.

UNGUENTUM ELEMI, SEU BALSAMUM ARCEI.

℞ Terebinthinæ,
Gummi Elemi . . . ana libram unam, & ſemis,
Pinguedinis Suillæ . . . . . libram unam,
Sebi Hircini . . . . . . libras duas:

Omnia ſimul liqua: tum colo trajice.

UNGUENTUM BASILICUM.

℞ Colophoniæ,
Picis navalis,
Ceræ flavæ . . . . . . ana uncias ſex,
Olei communis . . . . . libras duas:
Simul liquefiant, dein percolentur.

UNGUENTUM CITRINUM, SIVE AUREUM.

℞ Olei Olivarum . . . . . . libras duas,
Terebinthinæ . . . . libram unam,
Ceræ citrinæ,
Colophoniæ . . . . ana uncias ſeptem,
Maſtiches,
Olibani pulverati . . . . ana uncias duas,
Croci . . . . drachmas duas:
Cera, Colophonia, Maſtiche, & Terebinthina in Oleo diſſolvantur; quibus colatis, ac tepidis reliqua commiſceantur.

UNGUENTUM COMITISSÆ.

℞ Olei myrtini . . . . libram unam,
Ceræ citrinæ , ... uncias quatuor,
Maſtiches pulveratæ . . . unciam unam:
His una liquatis addantur ea, quæ ſequuntur in pulverem trita:
Gallarum immaturarum,
Nucum Cupreſſi,

Se-

Seminum Plantaginis,
Sumach . . . . . ana drachmas ſex;
Aluminis rupei . . . . . . unciam ſemis.
Miſce omnia in formam Unguenti.

UNGUENTUM DE ALTHÆA.

℞ Olei de Mucilaginibus . . . . . libras tres,
Adipis Suilli . . . . libras duas,
Ceræ flavæ . . . . libram unam:
Liquefiant ſimul omnia; tum his adde
Radicis Althææ pulveratæ . . . uncias ſex.
Commiſceantur in Unguentum.

UNGUENTUM DE ARTHANITA.

℞ Succi Radicum Cyclaminis,
Cucumeris agreſtis... ana libras duas,
Butyri Vaccini . . . . . . libram unam,
Olei Olivarum . . . . libras duas,
Colocynthidis . . . . uncias quinque,
Ceræ flavæ . . . . uncias novem,
Fellis Tauri
Sagapeni,
Salis Gemmæ . . . . ana unciam unam,
Florum Chamæmeli . . . . . . uncias quatuor:
Colocynthidis Pulpam forfice inciſam cum integris Seminibus per diem, & noctem in Succis macera: tum coque ad medias: poſtea exprime, & ad Extracti formam exhala Taurino felle adjecto; atque hæc Cera, & Bu-

Butyro in Oleo liquatis, ac tepentibus, pistillo ligneo assidue agitando, paulatim immisce: post adde cætera pulverata, & fac Unguentum.

UNGUENTUM DE BOLO.

℞ Olei Myrtini . . . libras duas,
Ceræ flavæ . . . . . uncias octo,
Boli Armeniæ Aceto pluries imbutæ,
& siccatæ . . . uncias sex,
Sanguinis Draconis veri . . . unciam unam:

Cera cum Oleo liquetur: quibus tepefactis adde Bolum Armeniam, & Sanguinem Draconis, utraque lævigata: tum omnia accurate, ac tandiu commisce, donec refrigescant.

UNGUENTUM DE LAPIDE CALAMINARI.

℞ Olei Nucum juglandium . . . . libras duas,
Ceræ flavæ . . . uncias quatuor,
Succi Plantaginis . . . . . uncias sex,
Lapidis Calaminaris præparati,
Boli Armeniæ præparatæ,
Lithargyri præparati,
Cerussæ,
Terræ dulcis Vitrioli ... ana unciam unam, & semis,
Camphoræ . . . . drachmas duas:

Lapis Calaminaris, Lithargyrus, Cerussa cum Succo Plantaginis, & Oleo, spatha lignea continenter movendo, ad humoris dissipationem, & fere ad Unguenti consi-

confistentiam lente coquantur: tum adjecta Cera liquata inspergantur etiam reliqua in pulverem tenuissimum trita, præter Camphoram, quæ pauculo Oleo soluta tepenti Unguento immiscenda est.

UNGUENTUM DE SPERMATE CETI.

℞ Olei Amygdalarum dulcium . . . . uncias tres,
Adipis Cervi . . . . unciam unam,
Spermatis Ceti,
Ceræ albæ . . . . ana semunciam:

Hæc simul omnia liquando, & commiscendo, usus tempore, Unguentum confice.

UNGUENTUM DE STAPHISAGRIA.

℞ Axungiæ Suillæ . . . . . libram unam, & semis,
Mercurii per corium trajecti . . . . unciam unam cum dimidia,
Staphisagriæ pulveratæ . . . . uncias quatuor:

Mercurius in mortario ligneo cum Axungia diligenter misceatur; adjectaque Staphisagria fiat Unguentum.

UNGUENTUM DE STYRACE.

℞ Olei Nucum Juglandium . . . . libram unam,
Styracis liquidi,
Gummi Elemi pulverati . . . anauncias octo,
Colophoniæ . . . . uncias quindecim,
Ceræ citrinæ . . . . uncias octo:

Li-

Liquata igne leniſſimo, dein percolata redigantur in Unguentum.

UNGUENTUM DE TUTHIA, SEU DIAPOMPHOLYGOS OFFICINARUM.

℞ Olei roſati . . . . libras duas;
Ceræ albæ . . . . uncias ſex,
Extracti Solani hortenſis . . . . . . uncias tres,
Cerusſæ,
Plumbi uſti,
Tuthiæ,
Olibani . . . . . ana drachmas decem:

Ceram in Oleo liqua, quibus tepefactis Extractum pauco Vino dilutum immiſce: adde his reliqua in pollinem lævigata, tum agita, donec frigeſcant.

UNGUENTUM DE APIO.

℞ Succi Apii . . . . libras duas,
Foliorum recentium Abſinthii,
Centaurii minoris,
Solani hortenſis,
Verbenæ . . . ana manipulos duos:

Supra calidos cineres per noctem digeſtio fiat: poſtea levis ebullitio: tum Succus prælo exprimatur, cui adde
Mellis optimi . . . . libras duas,
Poſt unam, vel alteram ebullitionem cola: deinde ad Mellis craſſitiem decoque.

Hiſce

Hiſce tepentibus immiſce
Terebinthinæ . . . . uncias ſex:
Demum ea inſperge, quæ ſequuntur, in pulverem tenuiſſimum redacta,
Myrrhæ,
Aloes Hepaticæ,
Radicis Ariſtolochiæ rotundæ,
Iridis Florentinæ,
Cancrorum combuſtorum . . . ana unciam unam:
Agita, & rite omnia commiſce.

UNGUENTUM NUTRITUM, SEU DE LITHARGYRO.

℞ Lithargyri præparati,
Ceruſſæ pulveratæ . . . ana uncias tres,
Aceti acerrimi . . . . . uncias octo,
Olei communis . . . libram unam, & ſemis:
In mortario plumbeo Lithargyrum, & Ceruſſam adhibito etiam piſtillo plumbeo aſſidue agita: & modo parum Olei, modo Aceti affunde, & commiſce, ut affuſo demum toto Oleo, atque Aceto nutritus ſit Lithargyrus ad idoneam Unguenti conſiſtentiam.

UNGUENTUM IRINUM.

℞ Olei Irini,
Amygdalarum dulcium,
Butyri recentis . . . . . . ana uncias ſex,
Adipis Gallinæ purgati . . . uncias quatuor,

Ceræ albæ . . . . uncias quinque :
Hiſce una liquatis, & paullulum refrigeratis inſpergantur Pulveres
Radicis Iridis Florentinæ . . . . . . ad unciam unam, & ſemis,
Croci . . . . ad ſemunciam :
Accurate miſcendo redigantur in Unguentum.

UNGUENTUM POPULEUM.

℞ Oculorum, ſeu Gemmarum Populi . . . libras duas;
Pinguedinis Suillæ purgatæ . . . libras quatuor :
In fictile liquefiat Pinguedo, in qua deinde Populi Gemmæ contuſæ mergantur, & maneant uſque dum idoneo tempore cætera adjici poſſint : tum

℞ Foliorum Papaveris erratici,
Hyoſcyami albi,
Sedi majoris,
minoris . . . ana manipulos tres;
Solani hortenſis . . . manipulos ſex :
Contuſa hæc omnia permiſceantur Pinguedine jam liquata una cum Populi Gemmis, & per triduum M. B. digerantur : poſt lente bulliant ad humoris evaporationem, ſpatha lignea aſſidue agitando : mox prælo expreſſa colentur, & fiat Unguentum.

UNGUENTUM REFRIGERANS.

℞ Olei roſati . . . libram unam, & ſemis;
Ceræ

Ceræ albæ . . . . uncias ſex :

Ceram in Oleo liqua, ſpatha lignea agitando, dum utraque in Unguentum cogantur: tum Aqua ablue, & ſubige, ut albidum fiat.

UNGUENTUM ROSATUM.

℞ Axungiæ Suillæ inſulſæ, & purgatæ . . . . libras ſex,
Roſarum rubrarum } demptis calycibus...ana lib.
Roſarum pallidarum } duas :

Roſis terreæ cucurbitæ inditis liquatam Axungiam affunde: operta cucurbita M B. ad triduum digere: dum adhuc calent, prælo exprime, cola, & adjice

Ceræ albæ . . . . uncias ſex :

Pone vas ſupra cineres calidos, & Cera liquata ſine in Unguentum ſimul omnia concreſcere: deinde a fæce, quæ ſubſiderit, ſepara.

UNGUENTUM SANTALINUM.

℞ Olei Myrtini . . . . libras tres ;
Ceræ albæ . . . . . . uncias novem,
Roſarum rubrarum ſiccatarum,
Santali rubri . . . . ana uncias quatuor ;
Caphuræ . . . . . . unciam ſemis :

Ceræ in Oleo liquatæ ac tepefactæ primum Roſarum, & Santali Pulvis, poſtea Camphora pauculo Oleo diſſoluta admiſceantur.

CAPUT XXI.

DE EMPLASTRIS.

EMPLASTRUM AD FRACTURAS.

℞ Mucilaginis Radicis Althææ,
Consolidæ majoris,
Olei myrtini . . . . ana libras duas;
Sebi Hircini,
Lithargyri præparati . . ana libram unam;
Minii . . . . uncias sex,
Terebinthinæ,
Mastiches pulveratæ,
Boli Armeniæ præparatæ ... ana uncias quatuor:

Cum Mucilagine, Oleo, & Sebo Lithargyrus, & Minium assidue subigendo, moderato igne q. s. coquantur: quibus primum Terebinthina, deinde Bolus, & Mastiche perfecte commisceantur.

EMPLASTRUM DE PELLE ARIETINA.


℞ Pellem Arietinam recentem
Olei Nucum Juglandium . . . libras tres;
Lithargyri præparati .. libram unam cum dimidia,
Colophoniæ . . . . . . libram unam,
Mastiches,
Benzoini,
Mumiæ . . . . ana uncias tres;
Sanguinis Draconis veri,

Alu-

Aluminis puri,
Hæmatitis præparati.. ana unciam unam, & ſemis:
Arietina Pellis fruſtatim diſſecta bulliat in ſufficiente quantitate Aquæ communis ad liquamen: tum exprimatur, & coletur decoctum. Hoc paulatim affundatur Oleo ferventi una cum Lithargyro, & aſſidue revolvendo coquantur in Emplaſtrum, in quo primum Colophonia, deinde Maſtiche liquefiant; atque his vix dum tepentibus cætera optime pulverata admiſceantur.

EMPLASTRUM, SIVE CERATUM DE ALTHÆA.

℞ Olei Chamæmeli,
Liliorum alborum,
Ceræ albæ,
Sebi Hircini . . . . ana uncias octo,
Adipis Gallinæ) utriuſq. expurgatæ. . ana unc. tres,
Medullæ Vituli)
Radicis Althææ in ſubtilem pulverem tritæ . . . uncias quatuor,
Emplaſtri Diachylonis ſimplicis . . . . . libram unam, & ſemis:
Oleum, Cera, Emplaſtrum, & Adipes ſimul liqueſcant, quibus ab igne remotis addatur Althææ Pulvis: tum piſtillo ligneo aſſidue materia agitetur, donec ſpiſſeſcere incipiat; hinc in tubulos chartaceos effundatur.



EM-

EMPLASTRUM, SIVE CERATUM DE BETONICA.

℞ Succorum Betonicæ,
Plantaginis,
Apii vulgaris . . ana libras duas,
Foliorum Betonicæ,
Plantaginis,
Solani hortensis,
Millefolii
Verbenæ . . . ana manipulos duos,
Terebinthinæ lucidæ . . . . libras sex,
Ceræ albæ . . . . libras quatuor,
Resinæ Pini pulveratæ . . . libram unam,
Gummi Elemi pulverati . . . uncias octo:

Recentium herbarum Folia contusa in Succis, ac Terebinthina diebus octo ad solem macerentur: hæc deinde ad humoris aquosi exhalationem bulliant: tum prælo exprimantur, & colentur; in quibus percolatis liquefiat Cera, deinde Pini Resina, postea Gummi Elemi; atque omnibus perfecte commistis, & refrigeratis fiant Magdaleones.

EMPLASTRUM, SIVE CERATUM DE CERUSSA.

℞ Cerussæ pulveratæ,
Olei communis . . . ana libras quatuor,
Ceræ albæ . . . . libram unam:

Coquatur Cerussa in Oleo, Aquam, ut artis est, insper-

ſpergendo, & ſpatha lignea indeſinenter ſubigendo ad conſiſtentiam Emplaſtri: cui tunc adjecta Cera, dum liqueſcit, accurate admiſceatur. Refrigerato Emplaſtro fiant Magdaleones.

EMPLASTRUM DE CICUTA CUM AMMONIACO.

℞ Succi Cicutæ,
Olei ejuſdem . . . . . . ana libras duas,
Lithargyri præparati . . . . . libram unam,
Terebinthinæ . . . . . . uncias ſex,
Gummi Ammoniaci pulverati . . . libram unam,
Camphoræ,
Salis Ammoniaci . . . ana unciam unam:

In Oleo, & Succo Cicutæ Lithargyrium ad Emplaſtri conſiſtentiam coquatur: tum Terebinthina, & Gummi Ammoniacum addantur. Emplaſtro ab igne remoto, ac tepefacto Sal Ammoniacum una cum Camphora ſubtiliſſime pulveratum admiſceatur.

EMPLASTRUM, SIVE CERATUM DE MELILOTO.

℞ Olei Meliloti . . . . . . libras duas,
Sebi Hircini . . . . . . libram unam,
Ceræ citrinæ . . . . uncias octo,
Terebinthinæ,
Florum Meliloti . . . . . . ana uncias ſex,
Gummi Ammoniaci,
Sagapeni . . . ana unciam unam, & ſemis:

Oleo,

Oleo, Sebo, Terebinthinæ, & Ceræ ſimul liquatis; ac tepefactis adde cætera in pulverem optime trita, & fac Emplaſtrum.

EMPLASTRUM DE SAPONE.

℞ Ceruſſæ pulveratæ
Minii . . . . ana libram unam,
Olei Olivarum . . . . libras tres,
Saponis . . . . . . uncias octo:
Omnia ſimul coquantur in Emplaſtrum ſpatha aſſidue verſando, & Aquam ſenſim inſpergendo.

EMPLASTRUM DE TACAMAHACA.

℞ Gummi Tacamahacæ . . . uncias tres,
Carannæ . . . . . drachmas ſex,
Balſami Peruviani ſicci,
Terebinthinæ Cypriæ . . . ana unciam unam, & ſemis:
Igne leniſſimo cuncta ſimul liqueſcant, & commiſceantur.

EMPLASTRUM DIABOTANUM.

℞ Radicum, & Foliorum recentium
Bardanæ,
Chamæpitys,
Valerianæ,
Angelicæ,
Helenii,
Ariſtolochiæ rotundæ,

Ra-

Raphani rusticani,
Cucumeris agrestis,
Scrophulariæ,
Cyclaminis,
Chelidonii minoris . . . ana uncias tres,
Succorum Cicutæ,
Hormini,
Chelidonii majoris . . ana libras quatuor,
Lithargyri præparati . . . libras duas, & semis,
Olei Olivarum . . . . libras quatuor,
Ceræ Citrinæ,
Terebinthinæ,
Colophoniæ,
Gummi Tacamahacæ,
Sulphuris vivi . . . . . ana libram unam,
Bituminis Judaici,
Olibani,
Mastiches,
Myrrhæ . . : . ana uncias sex,
Euphorbii,
Caphuræ . . . : : ana unciam unam, & semis,
Olei essentialis Caryophyllorum . . semunciam:

Herbas una cum Radicibus mundatas, & in pila marmorea contusas pone in fictile idoneo, quibus Succos affunde: biduum macerari sinito: deinde ad medias decoque: tum prælo expressum Liquorem cum Lithargyro, & Oleo continenter agitando ad idoneam consistentiam redige: adde Ceram, Colophoniam, & Terebinthinam: postea Tacamahacam, Masticem, Euphorbium pulverata. Vas ab igne remove, & cum tepuerit

Emplastrum, reliqua in subtilem pulverem trita, cui Oleũ Caryophyllorum instillaveris, accurate permisce.

N. Diabotanum cum Mercurio paratum habebis, si unciam unam Hydrargyri ad singulas Emplastri libras adjeceris. Prius autem Mercurius purificatus pulvere vivi Sulphuris, & adipe viperino extinguendus.

EMPLASTRUM DIACHYLUM SIMPLEX.

℞ Mucilaginum Radicis Althææ,
Seminum Fœnugræci,
Lini . . ana libras duas,
Olei Olivarum . . . . libras sex,
Lithargyri præparati . . . . . libras quatuor:

Lithargyrus cum Oleo, assidue agitando, & sensim Mucilaginem adjiciendo, coquatur ad justam Emplastri consistentiam.

EMPLASTRUM DIACHYLUM MAGNUM CUM GUMMI.

℞ Emplastri Diachyli simplicis . . . . . . libras quatuor, & semis,
Terebinthinæ . . . . . . uncias quatuor,
Ceræ,
Œsypi,
Resinæ Pini . . . . . ana uncias tres,
Ichthyocollæ,
Succi Scillæ . . . . ana uncias duas, & semis,
Radicis Iridis . . . . . uncias sex,

Gummi

Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Bdellii,
Sagapeni . . . . ana unciam unam cum dimidia:

Diachylum, Terebinthina, Cera, & Œſypus ſimul liquefiant: hiſce liquatis Ichthyocolla in Succis diſſoluta, percolata, & humore ejus, quantum ſatis, vaporatione abſumpto addatur: tum Pini Reſina, & Gummi pulverata, & cribro ſerico trajecta commiſceantur.

EMPLASTRUM DIAPHORETICUM.

℞ Reſinæ Pini . . . . libram unam,
Terebinthinæ . . . . uncias ſex,
Sandaracæ . . . . uncias quatuor,
Gummi Ammoniaci,
Galbani . . . . . ana uncias tres,
Sulphuris vivi . . . . uncias duas:

Pini Reſina, & Gummi pulverata cum Terebinthina igne leni liquentur. His paullulum refrigeratis Sulphur in pollinem lævigatum permiſceatur.

EMPLASTRUM, SIVE CERATUM EPISPASTICUM.

℞ Cantharidum . . . . . . uncias duas,
Ceræ flavæ,
Colophoniæ,
Terebinthinæ . . ana unciam unam, & ſemis:

Cantharides tritæ cæteris ſimul liquefactis, percolatis, & ad teporem redactis commiſceantur.

EMPLASTRUM, SIVE CERATUM MERCURIALE.

℞ Lithargyri præparati,
Axungiæ Suillæ,
Olei Olivarum . . . . . ana libras duas,
Gummi Ammoniaci,
Ceræ flavæ,
Mercurii per Corium trajecti .... ana uncias ſex,
Adipis Viperini,
Terebinthinæ,
Sulphuris vivi lævigati ... ana unciam unam, & ſemis:

Lithargyrium cum Axungia Suilla, & Oleo, addita identidem Aqua, ad juſtam Emplaſtri conſiſtentiam, ſpatha lignea aſſidue agitando, coquatur: adde Ceram, & Ammoniacum pulveratum: His liquatis, ac tepefactis Mercurium, qui Adipe Viperino, Terebinthina, & Sulphure extinctus ſit, accurate commiſce.

N. Emplaſtrum duplicato, vel triplicato Mercurio conficiatur, addendo ſingulis Emplaſtri libris drachmas ſex, vel unciam unam, & ſemis Mercurii.

EMPLASTRUM NIGRUM.

℞ Ceruſſæ pulveratæ . . . . libram unam,
Lithargyri præparati . . . . uncias ſex,
Olei Seminum Lini . . . . libras duas,
Olei,

Olei e Vitellis Ovorum . . . uncias duas;
Aceti acerrimi . . . . . . libram unam:
Igne leni, & semper agitando percoque in Emplastrum justæ consistentiæ, & fusci coloris.

EMPLASTRUM, SIVE CERATUM NORIMBERGENSE.

℞ Olei rosati,
Aquæ communis . . . . ana libras duas;
Minii,
Ceræ Citrinæ . . . ana libram unam, & semis;
Sebi Cervini,
Camphoræ . . . . ana drachmas novem:
Oleum cum Minio, adjecta sensim Aqua, coque ad idoneam crassitudinem: tum adde Ceram, qua liquata, cum tepuerit Emplastrum, accurate commisce Camphoram aliquantulo Olei dissolutam.

EMPLASTRUM, SIVE CERATUM OXYCROCEUM.

℞ Ceræ flavæ,
Picis navalis,
Colophoniæ . . . . ana libram unam,
Terebinthinæ,
Galbani in Aceto soluti,& ad ignem lenem spissati,
Masticheṡ . . . . . ana uncias quatuor,
Croci,
Myrrhæ,
Olibani . . . . . . ana uncias duas:

Cera,

Cera, Colophonia, Pix, Terebinthina, & Galbanum ſimul liqueſcant. His percolatis addantur Maſtice, tum Myrrha, & Olibanum pulverata, quæ ſcilicet ad extremum una cum pulverato Croco tepenti Emplaſtro admiſcenda ſunt.

EMPLASTRUM DE LITHARGYRO, VULGO PALMEUM.

℞ Lithargyri præparati,
Olei Olivarum . . . . ana libras quatuor,
Adipis Suilli . . . . libras duas:


Adjecta paulatim Aqua communi, ut artis eſt, percoquantur in Emplaſtrum.

EMPLASTRUM STYPTICUM.

℞ Mucilaginis Radicis Conſolidæ majoris...libras ſex,
Olei Nucum Juglandium . . . libras quatuor,
Minii,
Lithargyri præparati . . ana libram unam,
Lapidis Calaminaris lævigati . . uncias quatuor,
Sanguinis Draconis veri,
Terræ dulcis Vitrioli,
Aluminis rupei . . . ana unciam unam;
Radicis Ariſtolochiæ rotundæ . . . . . . unciam unam, & ſemis:

Minium, Lithargyrum, & Lapidem Calaminarem cum Oleo, addendo ſenſim Mucilaginem, coque ſ. a. in Emplaſtrum; quo paullum refrigerato cætera in pulverem tenuiſſimum trita diligenter commiſce.

FINIS.



INDEX CAPITUM
SECUNDÆ PARTIS
PHARMACOPŒÆ
TAURINENSIS.

VII.



INDEX

INDEX RERUM.

A

† Aqua

B

C

Nardi

N

O

Ra-

R

S

Spiri-

Men-

Tabellæ

T

V

Vipe-

ERRATA CORRIGENDA.

Pag. 25. *lin.* 26. Flos Terræ *adde* vel Solis.

Pag. 66. *l.* 7. espreffione *lege* expreffione.

Pag. 67. *l.* 10. clausæ *lege* clauso.

Pag. 68. *l.* 7. *dele* ac.

Pag. 69. *l.* 3. albidinẽ *lege* albedinem.

Pag. 81. *lin. penult.* Carmimans *lege* Carminans.

Pag. 87. *l.* 14. Agimoniæ *lege* Agrimoniæ.

Pag. 104. *lin.* 4. de Berberis *lege* Berberum, *& lin. seq. post* Cydoniorum *adde* Mororum.

Pag. 125. *lin. ult.* Seseleos *lege* Seseli.

Pag. 162. *l.* 16. *punctum adde post literam* F.

Pag. 166. *l.* 3. Liquoris *lege* Liquor is.

Pag. 179. *l.* 16. & similium *dele*, &c.

Pag. 196. *l.* 18. *post* calcina *dele duo puncta*; *& seq. l.* revolve *lege* revolvendo.

Pag. 197. *l.* 22. detonuerit *lege* detonuerint.

Pag. 229. *l.* 2. drachmas sex *lege* drachmæ sex.